
DIATRIBE

IN

HADRIANI JUNII

VITAM, INGENIUM, FAMILIAM, MERITA LITERARIA.


EX
BIBLIOTHECA
J.F.J. HEREMANS

DIATRIBE

IN

HADRIANI JUNII

VITAM, INGENIUM, FAMILIAM, MERITA LITERARIA.

DIATRIBE

IN

HADRIANI JUNII

VITAM, INGENIUM, FAMILIAM, MERITA LITERARIA,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

J. L. C. Schroeder van der Kolk,

MED. DOCT. ET PROF. ORD.

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU, AC NOBILISSIMI ORDINIS PHILOS. THEOR. ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

PETRUS SCHELTEMA,

AMSTELODAMENSIS.

DIE 26 M. MARTII A. MDCCCXXXVI HORA V.

AMSTELODAMI,

APUD M. H. SCHONEKAT.

MDCCCXXXVI.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA C. A. SPIN.



Hadr. Junius Medicus.







DIATRIBE

in

HADRIANI JUNII

vitam, ingenium, familiam, merita literaria.



Scripsit

P. SCHELTEMA

Amstelodami
Apud M. H. SCHONEKAT.
1836.



PARENTIBUS

ET

PRAECEPTORIBUS

HOC QUALECUNQUE OPUSCULUM,

D. D. D.

Filius et Discipulus.

PRAEFATIO.

Quod saepenumero mortalibus evenire solet, spes ut eos frustretur, idem et mihi accidisse, non demiror, magis autem est, quod deplorem. Hunc enim diem, quo studiis meis Academicis finem sum impositurus, laetum cum exspectarem eoque laetiorem quod cum Viro de me meisque studiis optime merito celebrare eum sperabam, adest jam iste dies haud quidem sine dolore gravissimo, siquidem spem fallacem mors acerba intervertit.

Quaero inter vivos Jacobum Scheltema meum optimum et consanguineum et magistrum et amicum, cui Viro, quot eum verbis appello, totidem nominibus obstrictum me esse sentio; at vero eum desidero gravi morbi impetu nuper mihi ereptum. Scio vetus jubere praeceptum, ut operum exordia ab rebus ducantur secundis, de hoc autem casu ne taceam, cum meus me monet dolor, tum pietas postulat.

Studia exordiri in Illustri Athenaeo Amstelodamensi mihi contigit ibique lectionibus interesse Literariis Clariss. Lennepii, cujus Viri in me tanta exstiterunt beneficia, ut quanta sint, quamvis probe sen-

tiam, eos tamen animi sensus verbis exprimere nullis queam. Namque ille et in publicâ institutione et in privatâ me ad literarum antiquarum humanitatem, venustatem, elegantiam informare non destitit; quapropter optimo huic praeceptori gratias his beneficiis quidem impares, sed quas habeo ago quam maximas.

Tribus fere annis elapsis de Academiâ quum cogitarem adeundâ, in quâ studia in Athenaeo suscepta persequerer et ad finem perducerem, eam autem ob rem haesitarem, quod nescirem Lugdunum an vero Trajectum praeferrem, venit bonâ fortunâ Vir Doctiss. Jac. Scheltema in urbem, cum quo consilium communicavi eumque rogavi, quid mihi suaderet? Hic continuo me adhortari, hanc Academiam ut peterem et in tractandâ patriae historiâ, cujus studium jam tunc mirifice me delectabat, auxilium opemque mihi ultro offerre; ego autem gaudio elatus, quod talem tantumque in viâ arduâ ducem nactus essem, et mihi gratulari et illi obtempeperare. Neque Viri verba falsa fuerunt, immo vero adeo exspectationem meam non decepit, ut plus, quam promiserat, mihi ille praestiterit. Etenim per totum illud triennium quod degi Trajecti, non solum magistri sed etiam amici paterni officiis in me benevole functus est et tanta erat mihi cum eo consuetudo, ut dubitem, an major ulla inter juvenem senemque esse possit.

Quantum mihi sepositum tempus studia literarum Graecarum et Latinarum concesserunt, illud cum eo peragere solebam colloquendo et disputando de

patriae nostrae historiâ et antiquitatibus. Erat ille quidem eruditissimus et jucundissimus, ut saepe dubius haererem, utrum magis dicendi vim et gravitatem, an vero copiam et suavitatem in eo admirarer. Quod genus dicendi oratori esse eligendum censet Cicero de Oratore L. 3. c. 25. *hoc erat ei proprium, qui sermone maxime teneret audientes et non solum delectaret sed etiam sine satietate delectaret. Ad has animi ingeniique dotes accedebat mira candoris et probitatis significatio, ut quum eum audivissem, nisi doctior, certe melior, quam ad illum veneram, ab eo semper discederem. Nequaquam autem meo tenui indiget praeconio illius fama doctrinae, cui comparandae satis fuit longum ei vitae spatium; hac vero opportunitate, quae fuerint optimi amici in me merita, silentio praeterire ingrati esset animi signum. Nescio horum an illud maximum sit, quod me in dissertationis argumento quaerendo adhortatus est, ut Hadriani Junii, cujus paulo ante historicam fidem ipse defenderat, vitam ego exponerem et scripta recenserem. Laetus de tam benigno consilio munus lubenter accepi et laborem alacriter aggressus sum; verumenimvero tantae se in materie, quam sumsi elaborandam, offerebant difficultates, eae ut vires meas superare viderentur; quamobrem mox coepi provinciam delatam recusare et petere par potius exiguis meis viribus munus mihi imponeret. Ille autem, pro solitâ ipsius erga me benevolentiâ, comiter me admonuit, justo ne citius animum deponerem omnemque scrupulum et haesitationem mihi exemit, sua promit-*

tendo ad difficultates expediendas officia; quae ut saepissime cognovi, ita potissimum in hoc opusculo conscribendo efficacissima expertus sum. Nam in vitâ Junii exponendâ et in scriptis colligendis strenue me adjuvit; immovero Virorum doctorum benignitatem, quorum benevolentiam ad conatus meos fructuosam fore exstimabat, mihi conciliavit. Inter hos erat Vir Celeb. Tydeman, qui suppetias afferendo ex bibliothecâ, quam habet librariâ supellectile instructissimam et consilia communicando studium in me probavit singulare.

Sic et commendavit me Viro Celeb. de Crane; hic mirâ et inauditâ liberalitate, animadversiones permultas de Junii vitâ et scriptis suâ manu exaratas mihi, juveni haud nisi ex Epistolis cognito, concessit.

Accipite Viri praestantissimi! meas grates grato animo oblatas; vos oro et rogo, ut pergatis, quamvis jam abierit ille, cujus gratiâ mihi favistis, eodem nihilominus favore me amplecti.

Cum lubenter annos academicos repetere soleó, tum majore animi voluptate, quod simul subit mentem recordatio illorum virorum, quorum uti institutione eo tempore mihi erat licitum.

Tua inprimis Clariss. Heusdi! egregia sunt erga me merita, privatis enim et publicis lectionibus pulchri, veri, justi amorem in me excitasti, quo ad vitam bene et feliciter agendam non ullus dux est certior.

Et te mihi praeceptorem contigisse, Clariss. Goudoevere! laetor et laetari numquam desinam, cujus

praecepta saluberrima, monita humanissima meis studiis maxime profuerunt.

Vobis. V. V. C. C. multum me debere scio et agnosco, quo fit, ut nihil mihi magis in votis sit, quam probare vestrum discipulum vestris non fuisse indignum beneficiis, quorum memoriam nulla tempora possunt ex animo delere meo.

Nec tuam Clariss. Visschere! benevolentiam reticere possum, qui mihi, etsi tuae praeclarae disciplinae non interfui utpote ex scholis de patriae historiâ egregiis Clariss. Kampenii profectus, tua tamen consilia hoc in opusculo componendo haud denegasti.

Vix superiore anno ex Academiâ domum discesseram, ubi meam dissertationem absolvere in otio posse sperabam, cum nuntius affertur mihi, fautorem meum, Jac. Scheltema in morbum incidisse. Quod ut audivi, ego statim Trajectum advolare anxius, ne vitae finis prope ei adesset, qui animum doloribus oppressum, corpus vero laboribus defessum haberet. Neque vanus metus apparuit: videbatur quidem morbus initio esse sine periculo, sed febris continua sensim sensimque magis invaluit, cui paucas post hebdomades Vir egregius et mecum conjunctissimus succubuit. Obiit Jacobus Scheltema die 26 mensis Octobris, mihique consuetudinis tristissimum desiderium, doctrinae praestantissimum exemplum reliquit. Vehementem ex ejus morte accepi dolorem. Hic autem dolor eo fit lenior, quo magis mihi persuadeo, defunctum carissimum, quam requiem et felicitatem hic frustra quaesivit, illic, quo migravit, nactum esse. Quod faxit Deus O. M! —

Superest dulce mihi officium, vobis, Amici et Commilitones! gratias agere vestrâ pro amicitiâ, quâ nihil mihi fuit umquam nec carius nec jucundius. Omnia mea vota hoc versu complector Tibulliano, (3. 5. 31.)

»*Vivite felices, memores et vivite nostri.*"

CONSPECTUS.

PARS PRIMA.

De vitâ, ingenio et familiâ Hadr. Junii.

PARS ALTERA.

De meritis literariis Hadr. Junii.

INTROITUS.

Non minus jucundum quam utile illud scribendi genus esse, quo virorum de re cum publicâ tum litterariâ bene meritorum res separatim describuntur et exponuntur, neminem infitiari posse existimo. Hinc opera Plutarchi, Nepotis, Suetonii, aliorum veterum auctorum summo et hodie leguntur studio, ut de iis taceam scriptoribus, qui post renatas literas singulos celebrando illustres viros, ipsi celebritatem nominis nacti sunt.

Neque illud mirum accidere mihi videtur, siquidem illa historiam tractandi ratio habet quo sese commendet potissimum. Etenim in historiae alicujus gentis contemplatione, exspatiamur animo in campum jucundissimum quidem sed eundem vastissimum, in unius autem viri considerandâ vitâ oculus mentis magis in unam eandemque rem convertitur ac dirigitur. Caeterum vix monendum, ut cujus viri vita vel res gestae describantur, hujus merita digna sint, quae memoriae prodantur, necesse esse.

Quapropter quam vim vir celebrandus in re politicâ seu litterariâ habuerit explorare diligentis historici munus est. Nam quo accuratius hoc munere functus fuerit historicus, eo majus harum vitarum esse pretium, neminem tam judicio alienum puto, qui in dubium vocare possit.

Neque tamen mei propositi nec hujus loci est, datâ operâ, de earum vitarum agere utilitate, hoc autem unum monere lubet, magnam saepenumero voluptatem ex vitâ illustris alicujus viri tractandâ percepisse juvenes, quibus, decurso spatio Academico, specimen progressuum erat publice exhibendum.

Ex multis duo tantum nomina exempli gratiâ commemorabo, Tichlerum dico et Muurlingium, egregios ambos hujus Academiae alumnos, quorum alter vitam Ulrichi Zwinglii tractavit, alter vero merita Wesselii Gansefortii exposuit (1). Quamvis autem his viris doctissimis longe doctrinâ me esse inferiorem probe sentiam, illorum tamen exemplo adductus sum, ut in simili scribendi materie meas qualescunque tandem vires periclitari decreverim.

Primum de Graeco aliquo scriptore cogitavi celebrando, quod cum animadverteret vir doctissimus mihique amicisssimus Jac. Scheltema monere me continuo et exhortari coepit, ut virum potius Batavum scripto illustrarem; nostram enim nationem neque rerum gestarum magnitudine neque virorum magnorum numero

(1) Non possum reticere superiore anno Trajecti ad Rhenum in lucem prodiisse egregiam diatriben in Gulielmi Ludovici Nassavii vitam, ingenium et merita, quam J. A. C. van Heusde scripsit.

ulli orbis terrarum cedere genti, nihilominus tamen multorum nostrorum nobilia facta tam tenui elogio posteritati esse prodita, ut paucis interdum paginis comprehenderentur. Quod consilium ut benevole communicatum, ita grato a me animo acceptum est. Et sic quidem factum, ut de vitâ et meritis Hadriani Junii, Hornani, agere tandem constituerem.

Multi praeter nostrum memorantur a scriptoribus Junii, ejusdem praenominis. Vixit eâdem quâ noster aetate Hadrianus Junius Dordracenus (cf. Ep. Junii p. 61). Idem nomen uni ex judicibus Oldenbarneveldii fuit. Tum fuisse olim Amstelodamensem Rectorem Hadr. Junium cognovi ex Misc. Obs. Cr. Nov. vol. VI, tom I, p. 250. Denique plures fuere, quos rite a nostro Hadriano Junio Hornano distinguere oportet.

Memoriam utique Viri hujus Doctissimi non delevit oblivio, quoniam laudem artis typographicae inventae, ab aliis nefarie occupatam, Laurentio Custodi Harlemensi, vero inventori, vindicavit et restituit (1); quis autem fuerit Junius, quantaque ejus sint merita literaria, paucissimi quidem hodie tenent. Multi omnino scriptores de Hadriano Junio egerunt (2), sed fere omnes ita breviter ejus vitam

(1) Nuper Junii fidem impugnavit Dr. C. A. Schaab, Magontiacus, qui eum ψευδαπόστολον vocavit, defendit autem vir Doctiss. Jac. Scheltema Traj. ad Rhenum in disputatione. De geloofw. van Junius gehandhaafd.

(2) Cf. Saxii Onomasticon. P. 3. p. 234. Multo plures, quàm a Saxio memorantur, de Junio egisse scriptores, apparuit mihi praesertim ex Editione hujus Onomastici cum Annotat. M. S. Viri Clariss: Tydeman

descripserunt, tamque leviter merita attigerunt, ut ex eorum scriptis, tantum eum fuisse virum, quantus fuerit, vix suspiceris. Primus ejus vitam enarravit et scripta enumeravit Theodorus Velius (Dirk Seylmaeker), in Chronico Hornano, cujus prima editio anno 1617. prodiit (1). Postremo et optime omnium vitam ejus et scripta tractavit G. W. ab Oosten de Bruijn in vitâ H. Junii, quae inserta in Obs. Misc. Crit. Nov. vol. IV, p. 391—434. (Amstelodami a. 1751) haud multis cognita est. Collegit studiose vir Eruditissimus de Junio ex Epistolis aliisque monumentis quidquid ad ejus vitam et scripta pertineret illudque digessit satis dilucide, quare jure ab O. de Bruijn de Junio bene meruisse dici potest. Quum autem in hoc opusculo multa desiderari vel minus recte notari cognoscerem ex fontibus praesertim ab Auctore neglectis (2), operae pretium duxi denuo disquisitionem de vitâ et scriptis Hadr. Junii instituere.

Prof. quondam in Academiâ Traj. quam editionem inspiciendam benevole mihi praebuit Vir. Clariss. Tydeman, Prof. in Academiâ Lugd. Bat. Non omnes, quos adhibui auctores, citavi, quoniam recentiores, uti fit, plerumque sua ex antiquiorum scriptis hauserunt.

(1) Hunc fontem non adiisse acutissimum Baylium, qui ceteroquin accurate vitam Junii exposuit, non satis mirari possum.

(2) Plurimum inprimis debeo collectioni Burmannianae M. S. quae in Academiae Traj, bibliothecâ servatur, quam collectionem pretiosam humanissime Vir Clariss. van Heusde utendam mihi concessit. In hoc volumine insunt.

H. Junii Batavia cum annotationibus et emendationibus MS. (ineditis).

Praefatio Typographi ad Lectorem MS. (ined). (Scripta a P. Burmanno Jun. qui in lucem mittere H. Junii Bataviam multis locis cor-

Disquisitio de vitâ praesertim difficultates habuit multas et chronologicas et historicas. Constat quidem inter scriptores, primo Julii die H. Junium natum esse, alii autem annum ei natalem 1511, alii 1512, aut 1513 fuisse scribunt. Consentiunt in eo omnes, 16 Junii eum obiisse diem supremum, dissentiunt vero de anno, quo mortuus fuerit, aliis annum 1574, aliis 1575 referentibus. Quo factum est, ut de aetate, quam attigerit, scrip–

rectam et restitutam, adjunctis duabus Epistolarum ejusdem centuriis et variis virorum doctorum de nostro Junio judiciis, voluisse videtur.)

Una centuria Epistolarum MS. (tota fere inedita.)

Vita H. Junii MS. (inedita, ni fallor.)

Verba, quae in H. Junii memoriam marmore exsculpta sunt Medioburgi MS. (ed. in vitâ Ep. praem.)

Series scriptorum H. Junii MS. (ined.)

Elegia funebris Danielis Rogerii Albimontani Angli in mortem singularis viri D. H. Junii Medici MS. (ed. in Appendice ad tertiam editionem Poematum Douzae, quae prodiit a. 1576.)

Divis manibus Hadr. Junii, Petrejus Tiara Valderichemus MS. (ed. in App. ad Poem. Douzae.)

'Εις 'Αδριαν 'Ιυνιον Gerardus Falkenburgius MS. (ined.)

Ephitaphium cl. Viri Hadriani Junii. Petrus Hogerbetius scripsit, MS. (ed. in vitâ Ep. pr.)

In laudem ejusdem ab eodem. MS. (ined.)

De eodem Joh. Posthius Med. MS. (ed. in vitâ Ep. pr.)

De Hadriano Junio et Petro Hogerbetio Viris Clariss. ad Hornam utriusque patriam Velius. MS. (ined.)

Manes Juniani, hoc est Epitaphia et querelae aliquot funebres in obitum H. Junii Hornani, Medici, Viri in omni disciplinarum genere perfecti et perpoliti, auctore Jano Douza. MS. (ed. in App. Poem. Douzae.)

Numerale Distichon et duo Epitaphia Petri Hadr. filii. MS. (ed. in App. ad P. D.)

Altera Epistolarum Centuria. MS. (quae magnâ pro parte edita est a. 1652.)

tores non convenirent. Aeque incerti vitae sunt casus Hadriani, ut quo anno et quamdiu variis in regionibus et locis versatus fuerit quidque ibi egerit, deficientibus testimoniis, saepe pro certo affirmari non possit.

Quo successu conatus mei in hac elaborandâ materie mihi cesserint, meum non est dijudicare; celare autem non possum lubenter me in historiâ litterarum ab a. 1540 ad a. 1575 versatum fuisse, eoque lubentius, quod saepius aut nova aut minus cognita invenire contigerit.

Nullis laboribus me pepercisse, quo aliquid lucis meâ operâ vitae et scriptis H. Junii accederet, fateri possum. Nemo autem a me utpote juvene omnibus numeris perfectam et absolutam disquisitionem exspectet. Si quâ igitur parte peccaverim, Lectores ignoscant mihi velim, quippe qui amore patriae ductus majus fortasse onus, quam pro viribus, in me susceperim.

Pars Prima.

DE VITÂ, INGENIO ET FAMILIÂ HADRIANI JUNII.

CAPUT PRIMUM.

VITA HADRIANI JUNII.

§ 1. *Pueritia atque juvenilis aetas.*

Hadrianus Junius natus est Hornae (1) in Frisiâ Occidentali anno 1511 (2) ipsis calendis Julii. Du–

(1) Teissier in op. Les Eloges des Homm. scav. Tom. I, p. 442, scribit »Hadrien Junius de Horn, village de Gueldres etc." qui scriptor locorum in patriâ nostrâ minus peritus fuisse videtur.

(2) De anno, quo natus est Junius, scriptores dissentiunt. Meursius Ath. Bat. p. 93, annum 1512 natalem Junio fuisse scribit, quem secuti sunt cum alii, tum etiam ab. O. de Bruyn sequendum putavit p. 391—393. Qui in eam traducti sunt sententiam, quia Epitaphium, quod in Medioburgensi templo patri posuit Petrus Junius, obiisse Hadrianum die 16 mensis Junii anno 1575 statuit; igitur, si ponatur, eum natum esse Kal. Jul. anni 1511 vixit 64 annos, modo dies quindecim ultimo anno addideris: quem annum, licet totus haud exactus esset, patris aetati tanquam integrum adjecisse Petrum putabant; unde necesse fuit, si tantum 63 annos vixisset Junius, eum natum fuisse anno 1512. Verum ut meam dicam sententiam, non potuit Petrus, deficientibus 15 diebus, scribere in Epitaphio, patrem annum 64 aetatis attigisse, quod contra receptum morem fuisset, quare

cebat originem ab gente Juniâ, nostratibus *de Jonge*, illustri et antiquâ.

Pater fuit Petrus Junius civitati Hornanae diu a Secretis, quo munere cum se abdicasset, quinquies magnâ cum laude consulatum ibidem gessit. Vir erat, ut ipsius filii Hadriani de patre testimonio utar, »eximiâ in rebus agundis prudentiâ, multi»plici historiarum cognitione, admirandâ facundiâ, »inexhaustâ memoriâ, nulli secundus (1); quo nomine frequentes legationes cum apud Daniae tum apud Sueciae regem aliosque Principes obivit. Scripsit librum in quo Hornanorum res memorabiles breviter exposuit, quod tamen opus nunquam in lucem editum fuisse videtur (2).

equidem statuo, H. Junium natum esse anno 1511, adsentientibus Velio Chron. Horn. L. 2. p. 181 et L. 5. p. 637. atque Auctore vitae Epistolis praemissae. Sunt nonnulli, qui Junium anno 1513 natum esse statuant, ut Moreri et Adamus, quorum error manifestus est. (Cf. G. Meerman in Orig. Typ. C. 4. p. 72 in not.) Gratum fuit quod cognovi ex Annotatibus MS. ad vitam et scripta H. Junii Viri Clariss. de Crane, virum doctissimum illum mecum in eandem sententiam secedere.

(1) Cf. Epitaphium Petri Junii apud Velium. L. 5, p. 637.

(2) Cf. Velius L. V, p. 636. Vix dubito, quin apud Velium L. I, p. 95 et L. V, p. 636, de eodem libello sermo sit a Petro Junio quidem conscripto. Errasse igitur mihi videtur ab O. de Bruyn dicens, illud chronichon memoratum L. I, p. 95, ab Hadriano nostro scriptum esse, quem in errorem credo virum eriditum lapsum esse, quod dixerit Velius, hoc chronicon esse scriptum ante sexaginta annos *vel prius*, ex quibus verbis additis liquet, annum non satis constare: quum praeterea incertum sit, quo anno haec scripserit Velius, non video cur abjudicemus chronicon illud Petro et potius tribuamus Hadriano, quem composuisse libellum de Hornanorum rebus neque ex Epistolis, quas permultas reliquit, neque ex reliquis ejus scriptis apparet.

Matrem habuit Mariam Theodori filiam (1), matronam miris ingenii dotibus praeditam, quae fertur adeo tenacis fuisse memoriae, ut quascunque

(1) Velius Chron. Horn. L. V, p. 737. »Hij werd van zijne Moeder Marij Dirks, een seer kloeke en geschikte Vrouwe, gebooren in 't huijs in de Kerk-straet, daar tegenwoordelijk het Verken uijthangt, 't jaer 1511, den 1 dag Julij." De domo, in quâ natus est Junius, haec retulit Vir Clariss. de Crane in Annot. MS. »Dit huis staande aan de Westzijde van de Kerkstraat, het vierde huis van het marktplein de Roode Steen genaamd, (of wel, toen het Oude Stadhuis daar nog stond, het vierde van de opene ruimte daarachter, die men toen het Leeg Erf noemde), had reeds vóór honderd jaren de uiterlijke gedaante van bouworde, welke de achttiende eeuw eigen is. De benedenverdieping was met eene voorkamer van twee schuiframen ten Zuiden en de voordeur stond tegenover het Noorden. De tweede verdieping had eene kamer met twee glasramen in houten roeden zijnde tegen elkander slaande draairamen, waarboven nog een zolder met één raam was. Tusschen gemelde twee glasramen nu was in den gevel gemetseld de beeldtenis van Hadrianus Junius krachtig uitgebeiteld in een zwaar eikenhouten blok, dat wit geverwd het voorkomen van steen had. Het beeld geleek genoegzaam dat, hetwelk door Velius in zijn Chronijk in plaat gegeven is. Wat lager onder het beeld was van hout of steen gemetseld een varken, dat verguld was en zoo ik meen ook een opschrift had: *het vergulde Varcken*. Tusschen de eerste en tweede verdieping liep dwars een puibalk, die wit geverwd dit opschrift langs de gehele breedte van het huis met zwarte Capitaal Romeinsche letters droeg:

Hier lag eerst Junius nog taalloos als een kind,
Wiens wedergâ men niet in zeven talen vind.

Alles op eenen regel, op het einde stond nog cursief, H. Bruno. Deze was in het midden der zeventiende eeuw corrector te Hoorn als dichter niet onbekend, waaruit men dus tot den tijd, dat het opschrift alzoo aan het huis geplaatst is, schijnt te kunnen besluiten. Velius meldt niets dergelijks en gewaagt ook niet van het beeld in den gevel. Men vindt hiervan gewag gemaakt in het chronijkje van Hoorn (a. 1707 in 8º.) p. 51, en in de aanteekening van Centen op Velius, L. I, p. 182. Echter niet zeer naauwkeurig.

audivisset conciones, eas de verbo ad verbum recitare posset (1).

Ab his parentibus vere egregiis educatus est Junius, qui quum magnam docilitatem ingeniique praestantiam in puero animadverterent de eo multa sperantes literarum studiis filium destinaverunt; neque spem eventus fefellit, Junius enim Harlemum, ubi eo tempore celebris erat schola, missus tam ingenio et industriâ excelluit, ut scholae lumen et Phoenix apud praeceptores brevi audiret (2).

Praeerat huic scholae Jacobus Meysterus, vir inprimis doctus (3), cujus institutioni multum se debere grato animo profitetur Junius in Epistolâ, quam optimo huic praeceptori in peregrinatione scripsit (4). Ex eâdemque patet, eum in pueritiâ habuisse praeceptores D. Joannem Gallum Medicum et Joan. Gymnasiarcham, tum D. Nicolaum; quo nomine designari Nicolaum Galium, mihi procul dubio esse videtur, quem in Bataviâ p. 257 vocat hominem ferreâ memoriâ et longâ canitie venerabilem, pueritiae suae formatorem. Quod autem opinatur Schrevelius, eum in disciplinam Doccomii Frisii traditum fuisse (5), non confirmare possum, siquidem

Tegen het einde der vorige eeuw heeft, zoo als ik vernomen heb, eene verbouwing aan dit huis gelegenheid gegeven, dat het beeld uit den gevel weggenomen en daarna verplaatst is naar de Stads-Bibliotheek in den zuid-oostelijken achterhoek van de Groote Kerk.

(1) Quod ex vitâ MS in Coll. Burm. cognovi.

(2) Cf. Velius Chron. Horn. L. V, p. 637 et Auctor vitae Ep. pr.

(3) Cf. Schrevelius Harlem. L. VI, p. 352.

(4) Cf. Ep. p. 47.

(5) Cf. Schrev. Harl. L. VI, p. 352.

illud nullo testimonio in Epistolis comprobatum invenio. Harlemi cum prima studiorum fundamenta jecisset ad uberiorem animi cultum in Academiam Lovaniensem se contulit, ibique Medicinae ac Philosophiae operam navavit (1). Exacto Lovanii biennio animum peregrinationi applicuit persuasum habens, praestare Ulyssem imitari,

πολλῶν δ᾽ἀνθρώπων ἰδεῖν ἄςτεα καὶ νόον γινώσκειν,

quam cum Aglaö Arcade, qui numquam agelli sui fines excessisse legitur, domi consenescere. Ante autem quam peregrinationem suscepit, patriam repetere statuit (2); eo existimo consilio, uti patrem optime de se meritum valere juberet. Neque postea hunc revisere ei contigit, etenim brevi post Jdibus Novembr: anni 1537 Petrus Junius diem supremum obiit (3), qui quamvis magnis functus fuisset muneribus Aristidis instar Atheniensis opibus non valuit, ita ut filio nil nisi exemplum vitae justae et aequae relinqueret.

§ 2. *Commoratio in Germaniâ, Italiâ, Galliâ, Angliâ.*

Patriam cum reliquisset Junius primum videtur Germaniam et Italiae partem peragrasse (4),

(1) Cf. Velius l. c. et Auctor vitae Ep. pr.

(2) Cf. Ep. Corn. Joanni Horn. p. 361.

(3) Cf. Velius l. c.

(4) Scribunt Velius et Auctor vitae Ep. pr., Junium Parisios primum adiisse, deinceps non memorantes, eum itinere in Germaniam peracto denuo Galliam repetiisse. At vero ex Epistolis constat, fuisse

comitantibus cum aliis tum Martino Costero Amstelodamensi, celebri postea medico. Verum non adeo regionum visendarum cupiditate quam animi excolendi studio hoc iter suscepit, quare aliquamdiu Bononiae, quae urbs studiis artibusque florebat, sedem figere constituit.

Hic in amicitiam venit Comitis de Pepolis, domo qui eum excepit et multis magnisque affecit beneficiis, quae haud parum adolescentem excitarunt, ut studia suscepta laeto animo persequeretur (1); cum multis etiam viris eruditis familiaritatem concontraxit, inter quos erat Andreas Alciatus J. C. celeberrimus (2). Bononiae artis medicae et philosophiae Doctor creatus est die 3 Martii anno 1540 (3). His ornatus honoribus Galliam petere statuit atque audire Jac. Hollerium et Joh. Fernelium, medicos clarissimos; itaque Lutetiam adiit, ubi eum fuisse annis 1541 et 1542 ex epistolis constat. Quos fructus ex hac institutione tulerit, non in obscuro latet,

eum anno 1538 Senae Hetruriae, annis 1539 et 1540 Bononiae, annis 1541 et 1542 Parisiis; nulla autem Epistola eum jam prius in Galliâ fuisse confirmat. Quare equidem Auctorem vitae MS. in Coll. Burm. sequutus sum statuentem, patriâ relictâ, Junium statim Germaniam et Italiam petiisse atque his regionibus perlustratis, iter tandem in Galliam suscepisse.

(1) Cf. Ep. Nic. Poelenburgio p. 25. Haec Epistola, quae scripta est Bononiae 3 Cal. Febr. a. 1540, reperitur, praemisso brevi initio in 2 centuriâ Ep. MS. in Coll. Burm. ubi tamen inscripta est Ludovico Carino et data Id. Maiis, igitur anno jam 1539 in comitis familiâ eum fuisse apparet.

(2) Alciatus scripsit Emblemata. Cf. Ep. p. 98.

(3) Quod in margine Ep. MS. Bened. Ariae Montano Theol. notatum inveni.

felici enim successu Junius postea apud principes variis in regionibus viros medicinam exercuit.

Ex Galliâ deinceps in Angliam consilio et hortatu Edmundi Boneri, Episcopi Londinensis auri fere montes ei pollicentis, pellectus est (1); quibus postea promissis stare ille non potuit ob inclinatum in se regis studium. Junius igitur, quum Thomas Havardus, Dux Nordofolciae eum invitasset, ut sibi medicinam factitaret et simul filii, comitis Surreji, studiis praeesset, annuo stipendio quinquaginta angelatorum praeter omnia vitae necessaria, conditionem lubenter accepit. (2) Vitam in optimi patroni familiâ per sex annos tranquillam duxit, quibus praeteritis, afflictus est maximis calamitatibus. Duce enim Nordofolciae mortuo, ejus filius summae spei juvenis omnibus bonis sine causâ et lege orbatus sceleratorum et conjuratorum hominum dolis succubuit et capite multatus est. Quo quidem casu Junius tum stipendio, tum bibliothecâ bonâ copiâ (3) auctorum instructâ spoliatus est.

Quantâ vero operâ et studio enisus fuerit, ut amissos libros recuperaret, ex Epistolâ ineditâ cognovi (4), in quâ scribit, »Absente me procul in Nordofolciâ, dum capitis arcessitur Maecenas tum meus, Comes Surrianus, pars bona bibliothecae meae, quae in Musaeo istius adservabatur, direpta fuit. In eâ recuperandâ — totus nunc sum, cogorque hac ipsâ de causâ frequentius potentiorum

(1) Cf. Ep. Vulcanio p. 178 et Ep. Cardinalium Consessui. p. 392.

(2) Cf. Ep. Duci Nordof. p. 140 et Ep. Gardinero Ep. Vint. p. 12.

(3) Cf. l. c.

(4) Ep. MS. Principi Anglo.

et eorum apud quos libri mei delitescunt, limina terere." Dubito autem, num voti compos umquam factus sit.

Turbatis in Angliâ rebus ad patrios penates discessit commodiora tempora operiri cogitans. Verum quum et illic paupertas urgeret neque haberet unde vitam sustentaret in Angliam denuo regressus est (1), sperans fore ut nova sibi offerretur conditio; ad plures principes de suâ egestate scripsit multorumque imploravit auxilium (2). Vani autum fuerunt conatus; nemo misero, quantùm scio, in angustiis opem tulit. Interim tantâ premebatur pauperie, ut nec aes alienum ex rebus vitae necessariis contractum solvere posset nec cum aestivus cultus hyemis tempore commutandus esset, haberet quo hibernum sibi pararet (3). Tandem in familiam nobilis cujusdam matronae comitis titulo adscitus et honorario munere annuo stipendii vice honestatus est ob navatam illi successu felici medicam operam, quam omnis regiorum etiam medicorum turba inanem fere per biennium in eam consumserat (4). Quamdiu eo munere functus sit, non definire possum; diu autem in familiâ matronae fuisse, non credo, si quidem ex Epistolâ a. 1551. Hàrlemi scriptâ apparet, eum jam eo tempore reducem ex Angliâ fuisse (5) in patriam.

(1) Cf. Ep. Gard. Ep. Vint. p. 14.

(2) Cf. Ep. supra cit. et Ep. J. Chieco. p. 92.

(3) Cf. Ep. Coelio. p. 149.

(4) Cf. Ep. P. Vulcanio p. 177 et Ep. J. Boysio p. 215, quae probat Junium anno 1549 in comitatu hujus Dominae fuisse.

(5) Cf. Ep. P. Nannio. p. 457.

His in peregrinationibus praesertim vero tum cum in Angliâ domicilium habuit multis cum viris doctis familiaritatem contraxit, ex quâ et suas perpolivit animi dotes et eam, quae per omnia ejus scripta tamquam condimentum dispersa est, auxit doctrinam.

§ 3. *Reditus ex Angliâ in patriam. Peregrinatio in Daniam.*

Ex Angliâ Junius redux primo Harlemi (1) deinde Hornae (2) sedem posuit, ubi nullo munere ornatus publico medicinam privatus exercuit literisque simul vacavit. Hic quod contra receptam alendae comae consuetudinem attonso vertice Italorum more incederet, ad quem, sicut virum πολύτροπον decet, in cultu se accommodaverat, in multorum reprehensionem incurrit, qui illum cultum viro gravi prorsus indignum esse clamitabant. Istos homines nimis consuetudinis jure abutentes illo tempore verbis refutavit, postea vero redarguit, edito de comâ libello, ut justam consilii factique sui rationem probaret (3). Inopiâ oppressus rem familiarem valde afflictam reparare conatus est scribendo carmen heroicum in nuptias Philippi et Mariae (4), quod Philippeidos nomine (5) inscriptum

(1) Cf. Ep. P. Nannio p. 457 et P. Nannio p. 337.

(2) Cf. Ep. Meinardo p. 330 et Cf. Ep. H. Camingae p. 345.

(3) Cf. Ep. Ded. in Comm. de Comâ.

(4) Philippi Hispaniae Regis et Mariae Angliae Reginae Henrici 8vi filiae.

(5) Cf. Velius l. c. et Auctor Vitae Ep. pr.

regi et reginae suâ manu offerre constituit ab iis regiam remunerationem exspectans. Hac igitur spe elatus, Londinum se tertiâ vice contulit sed, carmen cum tradidisset, minus liberaliter quam speraverat a rege exceptus est. Lubet autem partem Epistolae adscribere ineditae, quâ dolorem ex insperato hujusce rei eventu susceptum exprimit (1). »Nimirum Philippeis mea sub Asellis (ut arbitror) nata, congiarium meruit a rege triginta sex coronatorum, quâ in re ambiguus haereo, virum potius accusare et in crimen vocare debeam, laevane mihi sidera, an literarum inscitiam ac ruditatem omnis expertem veneris, quae cum Choerylo poetâ, flagris potius quam aureis remuneranda fuerit. Enimvero utinam aut longa ista mora citius praecisa fuisset et majore meo compendio ac sublata illa ultro citroque cursitandi fastidiosa necessitas, etc. — ne dicam nunc de exactis infrugero labore tot mensibus, quibus duplum ejus summae a me insumptum est. Sed ingerat quis forsitan, nemo te evocavit, nemo istam scribendi provinciam imposuit, nemo istos te sumptus facere jussit, fateor: at illud persuasum habui mihi semper acuendorum ingeniorum instrumenta esse debere Principes, ac veluti dispensatrices quasdam Dei manus. Nempe sauciat animum meum graviter ista cogitatio cum ob rei indignitatem, tum propter infortunii mei conscientam, dum aeris alieni, in quod bona spes me conjecerat, dissolutio me torquet, quovis eculeo

(1) Ep. MS. Viro amplissimo (mihi ignoto).

gravius. Usque adeo ut hos versiculos extuderit dolor.

»Qui pingit vultus morituros, annua opima,
»Paucarum horarum praemia larga, capit
»Qui pangit Reges victuros carmine, longus
»Quid labor huic? vacuâ posse redire manu."

Alteram inveni Epistolam eodem tempore scriptam (1), in quâ, ut aere alieno liberaretur, Perezii beneficentiam invocat, his verbis. »Tu, si velis, beare me poteris et ab aeris alieni onere levare, idque tuâ, quâ polles, authoritate maximâ." Cujus vero auxilio his difficultatibus emerserit Junius, non compertum habeo. Brevi post videtur Londinum reliquisse neque posthac in Angliam rediisse (2). Reversus autem in patriam Hornae Harlemum praetulit, in quâ urbe amicitiam sibi paravit Lamberti Jac. a Roosvelt Pensionarii (3), a quo uxoris ex sorore neptem Mariam Wilhelminam Caesarinam (Keizers) in matrimonium accepit (4). Ex hac uxore duos suscepit liberos Petrum et Claram (5).

Anno 1558 videtur Harlemi scholam aperuisse priva-

(1) Ep. MS. Consalvo Perezio.

(2) Annum 1568. Epistolae Jano Douzae. p. 200. spurium esse, verosimile est, nullum certe vestigium alibi in litteris hujus itineris in Angliam inveni.

(3) Postea Consul in obsidione Harlemi nefarie trucidatus est.

(4) Cf. Ep. P. Vulcanio. p. 179.

(5) Ab O. de Bruyn, p. 402 dicit, »quot et qui liberi ex hoc matrimonio sint progeniti, nec scio, nec sciri posse existimo." Equidem ex Prosop. Junii, auctore Douzâ, cognovi, hanc priorem Junii uxorem duos liberos Petrum et Claram peperisse.

tam, in quam adolescentes aliquot in amicorum gratiam erudiendos admisit (1).

Paucis annis post matrimonium initum uxor dilectissima Junio erepta est, cujus in memoriam ipse Epitaphium posuit in templo Harlemi magno (2). Duxit deinceps Kenaviae illius Harlemensis sororem, Hadrianam Hasselariam (3), plures quae ei liberos peperit ipsique mortuo superstes fuit (4). Eo circiter tempore eum consilium in alias Hollandiae civitates commigrandi cepisse existimo; Delphos certe se conferre voluit ibique medicinam exercere, si an-

(1) Hoc colligo ex his verbis in Ep. P. Vulcanio p. 123. »Vix annus est, ex quo in phrontisterium istud me dedi, quod in gratiam amicorum domesticos intra parietes paucis institui." Quam Epistolam eodem anno ac litteras, quae eidem Vulcanio eâdemque de causâ scriptae leguntur, p. 177, exaratam esse credo.

(2) Epitaphium.

Mors Janua Vitae
D. O. M.
Mariae Gulielmae Caesarinae
Pudicitiae Modestiaeque unico exemplo conjugi
amantiss.
Hadrianus Junius
Medicus, ad posterorum memoriam
moestiss.
P. C.

Ultimâ in Augusti rapta est spes unica nobis
Conjunx: ah properae sors truculenta necis.

(3) Ait ab O. de Bruyn, p. 404. »Nuspiam invenire potui, quam uxorem denuo sibi copulaverit." Alterius uxoris, quam duxit, nomen memoratur in vitâ MS. in coll. Burmann.

(4) Scriptum est in Op. cui tit. Biographie Univ. Ancienne et Moderne, Paris 1818. tom. XXII. »Il éprouva souvent des privations et

nuum ei stipendium penderetur (1). De quo ut convenire non potuit, Amstelodami aedes conduxit: sed morbo correptus Harlemi manere coactus est (2). Sanitate recuperatâ, evocatus est Amstelodamum a D. Cnoppero Medicum Danorum regi quaerente, qui ei, si hoc munus suscipere vellet, quotannis ducentos Daleros praeter emolumenta Academiae nomine promisit, quibus conditionibus noster munus sibi oblatum accepit. Res, uti solet, ad plures emanavit et Rosenbergo, Regis Sueciae Legato, etiam nunciata est, qui, Junii consilio de solo vertendo audito, celeriter advolare atque quingentos immo vero sexcentos Daleros ei offerre, si Regis sui partes sequi vellet. Junius autem, Danorum regi gratificandi studio, opulentiori conditioni renuntiavit (3). Interim ex hac ipsâ re satis intelligi potest, magnam fuisse de ejus peritiâ famam; nec minus ex eo, quod postea Reges Poloniae et Hungariae splendidis eum pollicitationibus ad se pellicere conati sint; quibus tamen invitationibus non obtemperavit (4). Brevi tempore Junius in Daniâ mansit; displicebat enim ei coeli morumque gentis inclementia neque apud Regem eo, quo speraverat, loco erat; in patriam igitur, ne salutato quidem rege, iratus rediit (5).

le caractère de sa femme ajouta encore aux ennuis de sa position." Quod ex quibus fontibus hauserit scriptor Gallicus nescio, nullum certe, quantum scio, in Epistolis Junii hujus rei est vestigium.

(1) Cf. Ep. J. Beverovicio. p. 335.

(2) Cf. Ep. G. Kinnio Amst. p. 364.

(3) Cf. Ep. H. Tennero. F. D. R. Canc. p. 189.

(4) Res. v. Raden v. Holland. 14 Sept. 1565.

(5) Cf. Velius Chr. Horn. L. V, p. 638.

Exstat Epistola Joanni Sambuco Pannonio (1), quâ sibi reditum ex Daniâ gratulatur his verbis. »Liberet mihi Polydori exemplo erumpere in haec verba. Adsum profectus Danicâ e caligine, nisi longinqui ac molesti — recordationem itineris obliterasset jucundus amicorum reduci quotidie gratulantium, suisque salutationibus fastidium illud lenientium occursus (2)." Anno 1563 Junium reducem fuisse e Daniâ, videmus ex Epistolâ Splinteri ab Hargenio nostro scriptâ, eo quidem anno X Maji Hagis (3). Post peregrinationem Danicam usque ad mortem tenuit in patriâ domicilium, ut, quos fructus ex variis itineribus percepisset, iis cives fructi sint.

§ 4 *E Daniâ reversus sedem Harlemi figit.*

Harlemi deinde Rector creatus (4), ei scholae, in quâ linguarum fundamentis puer eruditus erat, per multos, provectâ aetate, praefuit annos (5). Quo munere ita functus est, ut et magnus alumnorum numerus disciplinae causâ Harlemum concurreret remotis ex locis, et vero inter Principes civitatis Viros essent, qui ei liberos excolendos traderent. To-

(1) p. 385.

(2) Cf. Ep. Splintero ab Hargen. p. 426.

(3) Cf. p. 648.

(4) Cf. Velius Chr. Horn. l. c. et Auctor Vitae. Ep. pr.

(5) Ab O. de Bruyn, p. 405, efficit ex literis Coss. Senatuique C. Harl. (p. 261) Junium Harlemi in Senatum esse cooptatum; mihi autem eo loco ad munus sibi oblatum Rectoris videtur respicere. Quodsi Harlemensis Senator creatus esset, non postea in Epistolâ Coss. et Senatui (p. 381.) horum se clientem vocasset.

tum se accommodabat ad pueros educandos, qui quo frequentiores lectionibus interesse ejusque frui consuetudine possent, aedes sibi spatiosas emit. Haec mihi innotuerunt ex Epistolâ ineditâ (1), ubi scribit Junius. »Emtae sunt mihi aedes locupletes et spatiosae, coenobii ferme spatium aequantes, cum pomario hortisque amplissimis praeter tria quatuorve cubicula et conclavia, ita ut loci affatim sit ad pubis scholasticae largam enutritionem et a turbâ hominum seclusam: Quare si te non lusurum operam arbitraris, aut tuis non indignum me praeceptorem existimas, eo fac tui convolent, nam me prorsus illi diatribae paro atque destino." Erat in Junio comitas, quâ discipulos sibi devinciebat, cui gravitas adjuncta erat et severitas, uti non minus eum amarent discipuli quam vererentur.

Severam eum in scholâ observasse disciplinam, docet Epistola ad Ludimagistrum Harlemensem, quem adhortatur discipulos suos, uti rite cohibeat et coerceat, seque idem facturum esse pollicetur (2). Quamvis autem pueros sibi commissos studiose doctrinâ instrueret et ad virtutem formaret, nihilominus rumor a scelestis quibusdam est dispersus, eum negligentius suos tractare et alienos a religione reddere, quod eos sacris publicis adesse prohiberet. Quo crimine se purgavit vir integerrimus in Ep. Corn. Susio p. 387. Mox autem in publicanorum injurias incidit. Quae quidem res hujusmodi fuit. Lex erat Harlemi, ut juventus, quae scholam publicam

(1) Ep. MS. Frid. Simonio Cons. Enchus.

(2) Cf. Ep. Zeghero Ludimag. H. p. 352.

frequentaret, in singulos annos pro capite caroleum tributi nomine persolveret; jam vero a novo publicano viritim tres carolei exigebantur. Neque solum hoc tributum a discipulis injuste efflagitabatur, verum etiam ab ipso filio Junii, quamvis ipsi reipublicae beneficio immunitas a vectigalibus concessa esset (1). De quâ injuriâ graviter conquestus est.

Anno 1564 Ordines Hollandiae, auctore Gulielmo I, historici publici munus unanimi consensu ei detulerunt (2). Quo munere suscepto, opus composuit, cui *Bataviae* nomen est, in quo praeter nostrae gentis regionisque antiquitatem etiam originem, decora, mores, aliaque ad eam historiam pertinentia declaravit. Prae caeteris autem civitatibus Harlemum, cui multis nominibus obstrictus erat, celebravit, cum meritis efferendo laudibus virtutes majorum, tum praesertim probando certis testimoniis, artem typographicam eâ in urbe inventam esse (3).

Eo ipso tempore, quo et scholam regebat et simul *Bataviae* scribendae vacabat, ab Alberto Megalopolensium Duce, Vandalorum Principe invitatus est, ut professoris munus in Academiâ Rostocensi, honesto stipendio, susciperet, quâ de re Dux ei ipse epistolam scripsit; sed honorificam illam provinciam recusavit

(3) Cf. Ep. Corn. Susio et Jac. Jongio p. 319. Ex eâdem Epistolâ cognovi stipendium, quod rectori pendebatur Harlemi, fuisse octoginta coronatorum in annos singulos.

(2) Cf. Ep. Joach. Hopp. p. 212 et Res. v. Raden van Holland. passim.

(3) Cf. Batavia p. 250 seq.

propter valetudinis infirmitatem (1). Quâ valetudine adversâ cum in dies magis premeretur, Consules Harlemenses metuentes, ne morbus in longum traheretur, cum eo pepigerunt, ut Rectoris munus deponeret (2). Ita majorem laboris libertatem nactus, inerti otio bonum conterere tempus, si quis alius, Junius minime potuit; qui quantum declivior et infirmior aetas permisit, tantum temporis aegrotis curandis tribuebat (3); subsecivis autem horis Musis operabatur. Pervenimus ad annum 1572, cujus ultimo mense Hispani obsidione cinxerunt Harlemum, ubi adhuc Junius habitabat. Fertur Hispanis propositum fuisse, urbe captâ, nemini parcere, nisi Gubernatori Ripperdae ob praeclaram animi magnitudinem et summam rei militaris peritiam, tum Junio etiam ob singularem eruditionem (4). Sic hostes eum pariter ac cives suspiciebant.

Duobus obsidionis mensibus praeteritis, Delphos evocatus est, ut medicam Gulielmo I operam praestaret (5), quare, Harlemi uxore et liberis relictis, egressus est ad Principem (6). Dum vero communi omnium saluti inserviebat ac prospiciebat Patri Patriae assiduo

(1) Cf. Ep. Ducis Junio p. 613 et Ep. Junii Duci p. 205.

(2) Cf. Ep. P. Nannio p. 193., in quâ duas morbi causas memorat. In Ep. MS. Plantino Germaniam sibi morbi parentem vocat. Alteram vocat morbi causam in Ep. ad Jac. a Duvenorde p. 383.

(3) Cf. P. Scriverius in Carmine, quo Harlemum celebravit, praefixo τῇ ἐξηγήσει τῆς πολιορκίας τῆς πόλεως Ἁρλεμίης. Nicolai Joh. a Wassenaer. Cf. ab O de Bruijn p. 408.

(4) Cf. Auctor Vitae Ep. pr.

(5) Cf. Velius Chron. Horn. l. c.

(6) Cf. Ep. Mag. Harlem. p. 468.

Harlemi praetoris urbani apparitores in domum ejus involarunt, a quibus haud pauca ex bonis capta et direpta sunt (1). Quam injuriam valde aegre tulit. At vero major etiam instabat calamitas. Mox enim eandem sortem subiit, quam superiori anno (1572) Lambertus Hortensius Nardae perpessus fuerat. Etenim, urbe Hispanis deditâ, omnium fere bonorum naufragium fecit. Bibliotheca, quam habuit permultis libris instructam manuscriptis, in expugnatione urbis direpta est, quod damnum ut valde ejus animum afflixit, multo tamen magis scripta deploravit eâdem clade amissa, quae inexhausto labore et multis vigiliis in spem aeternitatis elaboraverat (2). Ante civitatis expugnationem Magistratui Harlemensi scripserat eum rogans, ut curam impenderet, quo aedibus suis parceretur, urbs si dederetur (3); quibus precibus etiamsi satisfacere Magistratus voluisset, propter nimium hostium furorem non potuit. Postea jacturam resarcire conatus est, Epistolâ Maximiliano Henninio Comiti a Bossu scriptâ, a quo flagitavit, sibi indicaret, quo loco et quem penes erepta libraria supellex esset, seque adjuvaret in eâ recuperandâ (4). Comes autem brevi post captus (5) officium Junio praestare impeditus est. Paucissima tantum ex bonis direptis ei restituta sunt. Hostibus vero Harlemum

(1) Cf. Ep. Cons. et Senatui C. H. p. 381.

(2) Cf. Velius Chron. Horn. l. c. et Auctor Vitae Ep. pr. Ampzing. Harlem. p. 119, »inter scripta direpta erant commentaria sive animadversiones in Plinium, Flaccum aliosque plures scriptores veteres."

(3) Cf. Ep. Mag. Harlem. p. 468.

(4) Cf. Ep. Comiti a Bossu p. 473.

(5) In pugnâ navali 11 Octobris anno 1573.

appropinquantibus, videtur jam de civitate desperans partem aliquam rerum suarum et scriptorum Alcmariam misisse in custodiam amici Meerhoutani, quod ex Epistolâ ineditâ (1) colligo, quae ita se habet. »Vobis Vestraeque Urbi, Clariss. Petre, gratularer Alcmariae praeclaram et vividam bello virtutem civium et praesidii celebraturus (ut libere tecum loquar) nisi tacitae cujusdam invidiae ob afflictas nostrates fortunas conscientiâ tangerer. — Agendae tamen interim Deo Opt. Max. immortales gratiae pro tam felici rerum successu. — Mitto istuc Petrum filium meum qui, impetrato commeatu libero, res meas et scripta, quorum incredibili teneri me desiderio mirum non est, navigio huc per mare referat; ea vero quin ut hospitii tutâ ac securâ statione apud te fuerunt accepta et asservata, ita rursum iis libere emigrandi potestatem sis facturus, non dubito. — Delphis pridie Jd. Oct. a, 1574."

§ 5. *Delphis moratur. Medioburgum discedit. Moritur.*

Delphis dum medicinam adhiberet Gulielmo I, Corn. Cruserii viri humanissimi hospitio usus est, cui hujus beneficii causâ se tantum debere, quantum mortalium nemini, grato animo postea confessus est(2). Gravissimum autem eo tempore ei erat, quod ab uxore et liberis remotus etiam librorum usu priva-

(1) Ep. Ms. Petro Meerhoutano.

(2) Cf. Ep. Corn. Cruserio p. 253.

tus esset. Scripsit Delphis Christophoro Plantino (1) »Salvere multum a longinquo Musarum exsilio te jubeo, qui procul ab uxore et penatibus, verso solo insuetam solitudinem colo, in quâ id mihi gravissimum accidit, quod librorum familiari consuetudine carendum sit." Jam initio anni 1573 speraverat fore, ut, capto Medioburgo, ibidem domum commodam et honestum stipendium impetraret beneficio Ill. Principis (2). Quâ de re scripsit ad Jacobum Musium ab Holij, Principis Consiliarium, cujus operâ factum est, ut Carolus Boisotus, Valacriae Praefectus, post urbem captam anno 1574 provinciam exoptatam ei concesserit. Epistolam, quâ Boisoto ob benevolentiam gratias agit, ineditam hoc loco communicare haud alienum videtur (3). »Intellexi ex Domini Musii verbis, clariss. Boisote, singulare tuum erga me studium et conjunctam cum amore benevolentiam, qui, accedente eodem Illustriss. Principis voluntate, destinaris mihi locum Medioburgi in Abbatiâ cum honorario annuo. Id si ita est, ut de viri fide non dubito, quam

(1) Ep. MS. Chr. Plantino. Scribit ab O de Bruijn p. 412. Delphis non tantum medicas optimo Patriae Patri operas praestitit sed etiam prima studiorum rudimenta filii ejus Mauritii rexit, Epistolâ Gulielmo I° p. 455 citatâ. Hoc autem minime ex eâ Epistolâ apparet, quae jam anno 1567 scripta est; Delphis vero habitasse Junium annis 1573 et 1574 demum constat. Error Viri Doctissimi ortus est ex his Junii verbis »Quod in id incubuerim Illustrissime Princeps, eoque meas cogitationes converterim, ut filii tui summae spei pueri ac per eum caeterae juventutis literis addictae studia adjuvarem, non dubito, quin genio id placuerit tuo." Quo loco non respicit Junius ad Mauritium sed ad Philippum Gulielmum, cui priori anno 1566 Nomenclatorem dedicaverat.

(2) Cf. Ep. Jac. Musio ab Holij p. 484.

(3) Ep. MS. Carolo Boisoto Valacriae in Mattiacis Praefecto.

ego me beatum existimarem, cui non tecum modo (cujus virtutis fama omnium jam praestrinxit animos, aures imbuit, ut de eruditione et poeticà facultate taceam). Sed et cum D. Joanne Junio, mihi cognomine, viro clarissimo consuetudo optanda sit et ubi in luce doctorum et illustrium virorum jucundum senium extrahere volupe mihi foret. Itaque si te ita velle cognovero, neque meam senectutem aspernaberis, morem libens tibi gessero." Medioburgum igitur discessit habitatum, ubi publico stipendio medicinam factitavit aliquamdiu, domicilium nactus in Abbatiâ Praemonstratensium (1).

Initio quidem Medioburgi valetudine gaudebat satis prosperâ et mirabatur delicias illorum, qui aeris Zelandici asperitatem accusarent (2); paulo autem post gravissimus eum morbus adortus est: cui morbo cum febris lenta et continua accessisset, sensim sensimque ejus vires consumtae et contritae sunt (3). Quantis tunc corporis doloribus cruciatus sit, vix animo complecti aliquis poterit, nisi Epistolis, quas scripsit eo tempore, perlectis (4). Ultimam Epistolam ab eo scriptam Jano Douzae 10 Maji a. 1575 inveni, cui scribit (5). »Gravis me afflavit non ita pridem aeris halitus, qui cum teterrimâ tussi animam mihi tantum non elidit atque expectorat." Anno 1575, cum

(1) Cf. Ep. Nicolao Vorstio p. 492.

(2) Cf. Ep. J. Musio ab Holij p. 489.

(3) Auctor Vitae Ep. pr. »in gravem et lethalem morbum incidit, multis malis eum aggravantibus, ut ulceratione renum, apostemate in collo vesicae, gravi tussi, et insuper lentâ et pertinaci febre."

(4) Cf. Ep. p. 441, 482, 489, 490 plures.

(5) Ep. ed. in App. ad Poem. Douzae.

annum sexagesimum tertium aetatis explevisset (1), Medioburgi diem supremum obiit (2), ubi in quâ Abbatiâ vivus sedem habuerat, in eâdem mortuus sepultus est (3). Petrus Junius, qui funus curavit, patri hoc Epitaphium scripsit.

(1) Cf. Auctor Vitae Ep. pr. et Epitaphium. Male scripsit Velius l. c. Junium obiisse a. 1574.

(2) Thuanus t. 3, p. 112. »Ubi (Arnemudae) cum frustra consilio ac diligentiâ suâ concivibus laborantibus opem ferre conatus esset — in lethalem incidit morbum." Haec perversa sunt, quo enim tempore, Delphis relictis, sedem Medioburgi fixit Junius, jam urbs Harlemensis capta erat ab Hispanis.

(3) Citra veritatem scribitur in opere, cui tit.: De tegenwoordige staat van Zeeland, tom. 1, p. 191 in descriptione Templi Veteris Beato Petro dedicati »De vermaarde Hadrianus Junius van Hoorn is, nadat hij te Arnemuijden overleden was, in deze kerk begraven, daar hem een grafschrift zijner verdiensten waardig gesteld was, doch hetgeen daar thans niet meer gevonden wordt." De ejus sepulcro haec annotata inveni in opere cui tit.: De Letterbode a. 1817, tom 2, p. 196. »Ik vond in Mei des voorgaanden jaars in de Choorkerk eene zerk N°. 41, waarop men leest:

Hier leet begra-
ven Doctor
Adrianus Junijus.
Starf den 16 Junij
Anno 1575.

Van het Epitaphium echter door Petrus Junius ter eere van zijnen vader opgerigt is niets overgebleven. Door ouderdom vervallen en onleesbaar geworden, zal het waarschijnlijk met eenige oude wapenborden zijn opgeruimd." Audivi haec observata et cum orbe erudito communicata esse a Viro patriarum antiquitatum studiosissimo N. C. Lambrechtsen van Ritthem. Ejusdem viri scriptio de Hadr. Junio inedita servatur in Actis Societatis Zelandicae, quam oculis usurpare licuit mihi benevolentiâ Viri Doctissimi J. Kanteri, Phil. fil. Habuit autem ea scriptio, utpote ex fontibus cognitis composita, nihil novi. Obiisse Junium Arnemudae in Zelandiâ omnes testantur auctores, exceptis Velio, Auctore vitae Ep. pr. et Auctore vitae MS. in Coll. Burm: Quorum primaria in rebus Junii referendis est aucto-

D. O. M. S.

Hadriano Junio, Hornano, Philologo, Medico et Poetae Celeberrimo, Bataviae Historico fidelissimo, cujus in omni disciplinarum genere exquisita eruditio, singularis industria, infinitae lectionis praestantia, multiplex linguarum scientia, pari conjunctâ comitate, virorum omnium doctorum admirationem laudemque meruit, post varia incomparabilia ingenii monumenta, quibus aeternam sibi memoriam comparavit, sub hoc marmore condito, patri optime de se merito, Petrus Junius moestissimus pietatis ergo. P. C.

Vixit annos 63. Obiit die 16 mensis sibi cognominis, anno S. Chr. 1575.

Permulti in ejus obitum luserunt poetae, inter quos Janus Douza nobilissimus ille obsidione Lugduni Batavorum.

Bene convenit in nostrum Junium, quod in primo Cap. Eumenis pronuntiavit Corn. Nepos. »Hujus si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem major sed multo illustrior atque etiam honoratior, quod magnos homines honore metimur non fortunâ.

ritas. Quoniam praeterea omnes anni 1575 epistolae Medioburgi scriptae sunt eaeque Junium eo anno laborasse gravi morbo probant, vix mihi credibile videtur, eum paulo ante mortem iter Arnemudam fecisse aegrotantem, quamvis non infitiari possum, solertem esse conjecturam, quam proposuit Vir Doctiss. Jac. Scheltema, de Geloofw. van Junius Geh. p. 30. Superest quidem series sepultorum in Templo Novo Medioburgi ab anno inde 1574 sed proh. dolor! desiderantur in eâ menses Junius et Julius anni 1575. Arnemudae tota saeculi 16 series mortuorum periit.

CAPUT II.

QUIS ET QUALIS FUIT HADR. JUNIUS?

Disputatione de vitâ ad finem perductâ, superesse mihi credo inquirere, quis et qualis Hadrianus Junius fuerit. Viri autem laudationem conscribere et a proposito abhorret et vero supra meas vires est. Praestat igitur quaedem Junii ex Epistolis dicta in unum conferre iisque addere ea, quae de Junio apud scriptores fide dignos commemorata invenerim; non dubitans, quin Lector, hisce perlectis, concedat ejus laudes majores esse, quam ut meo praeconio indigeant.

Quisquis Epistolas Junii legit, hunc non potuisse non observare existimo miram ejus humanitatem et comitatem, quibus animi dotibus omnes facile sibi devinciebat. Quum juvenis adhuc Bononiam venisset, gratiam Comitis de Pepolis cultis moribus sibi conciliavit cum eoque ita vixit, ut magis amici quam clientis loco haberetur. In Angliam profectus familiaritatem cum Thoma Havardo, qui eum in familiam recepit, contraxit et consuetudinem junxit

cum D. Francisco Dilfio, Caesareae Majestatis apud Anglos Legato. Postea in patriam reversus amicitiam Jani Douzae Lugdunensis sibi paravit, quam ad mortem usque retinuit. Omnium, quibuscum familiaritas Junio intercessit, nomina hic referre longum est; Epistolae vero ejus servatae, illos numero bene multos et dignitate ingenioque excellentes fuisse testantur (1).

(1) Magna Junio cum Poelenburgiorum familiâ intercessit familiaritas, quibuscum num affinitate conjunctus fuerit, deficientibus testimoniis, pro certo affirmare non audeo, neque magis, qui gradus affinitatis ipsos inter Poelenburgios obtinuerit, mihi apparuit. Quae de hac familiâ ex Epistolis H. Junii collegit Vir clariss. de Crane in Annot. MS. ad vitam et scripta H. Junii lubet cum Lectore communicare.

Cornelius Poelenburg. Zie Ep. p. 282, welke brief geene aanduiding van plaats noch tijd bevat. Waarschijnlijk is deze dezelfde aan wien nog twee brieven, p. 157 en 159 voorkomen, die ik acht van veel vroegeren tijd te zijn, waar in melding van deszelfs ouders gemaakt en hij zelf Medicus genoemd wordt, terwijl hij een *libellus de febribus* blijkt geschreven te hebben.

Cornelius Poelenburg. Aan wien ook twee brieven voorkomen Ep. p. 368 et 369 is van dezen geheel onderscheiden en misschien wel zijn kleinzoon. In den eersten noemt Junius hem zijnen leerling; de brief is uit Haarlem geschreven, de tijd wanneer wordt aangegeven door de woorden: »Patri dices Turcas Melitam reliquisse cum occidione aliquot millium etc." zij doelen ongetwijfeld op de groote nederlaag der Turken op Malta in den jare 1565. Of de volgende brief p. 369 volgens het opschrift *eidem*, wel aan denzelfden Poelenburg geschreven is, twijfel ik zeer aan: ten minsten moet die van veel lateren tijd zijn, om *de absolvendâ hoc mense Bataviâ meâ* te kunnen spreken.

Nicolaus Poelenburg. Aan dezen vindt men eenen brief (Ep. p. 25) uit Bononien van den 30sten Januarij 1540, hij was zoo als blijkt uit het slot des briefs alstoen de leermeester van den vermaarden Ulrich Fugger (die omtrent 1526 te Augsburg geboren, toen een Jongling van 14 jaren was). Aan denzelfden Nicolaus is een brief p. 10 uit Engeland buiten Lon-

Neque mirum, eum amicorum habuisse magnum numerum, siquidem ei tanta morum et ingenii erat facilitas, uti quâ tandem in terrae

den geschreven, en een berigt bevattende van de verandering der godsdienstplechtigheden in Engeland bij het begin der regering van koning Eduard IV, deze brief behoort dus tot het jaar 1547. Aan dezen is nog een brief p. 94.

Joannes Poelenburg. Aan dezen geeft Junius p. 82. in antwoord van eenen brief door dezen uit Straatsburg geschreven, berigt van de opdragt van de Cornucopiae, die te Basel dat jaar gedrukt moest worden; waaruit blijkt, dat de brief in 1558 geschreven is.

Antonius Poelenburg. Men vindt aan dezen, die met Corn. Susius Hollandiae Praeses in betrekking stond, een brief van aanbeveling in de zaak van eenen zoon des zwagers van Junius p. 300. In eenen tweeden brief p. 318 bedankt Junius hem voor het onthaal en noodigt hem tot een tegenbezoek uit; in eenen derden klaagt hij over zeldzamere briefwisseling.

Dit geslacht der Poelenburgen hoort, meen ik, te Hoorn te huis. Bij Velius komt in de lijst der Secretarissen van de stad al vroeg voor Jan Pietersz. Poelenburg, waarschijnlijk dus tijdgenoot van Mr Pieter de Jonge, den vader van onzen Hadrianus en in de Chronijk wordt Mr. Frans Poelenburg genoemd als een man zeer bekwaam tot het onderwijs der jeugd, de leermeester van Petrus Hogerbeets en van Nicolaus Bulius bl. 642 en 646. — Voorts komen er niet meer van dien naam in de regeringslijsten voor en ik meen te mogen veronderstellen, dat velen der boven genoemden, die zoo als blijkt allen mannen van geleerdheid zijn geweest, onder de regering van keizer Carel V en Philips II elders tot waarneming van posten te Brussel, in 's Hage enz. zijn geroepen geworden.

Uit hetzelfde geslacht is later 12 December 1628 te Hoorn geboren Arnoldus Poelenburg, die eerst in zijne geboortestad en vervolgens te Rotterdam Remonstrantsch Predikant, daarna sedert 1659 Theologiae Professor bij het Seminarium der Remonstranten te Amsterdam geweest is. Hij is daar den 30sten October 1666 overleden en te Hoorn begraven. Hij was een man van groote geleerdheid en braafheid (Zie Cattenburg Bibl. Rem. p. 115, G. Brandt Gedichten III, bladz. 163). Voor omtrent 50 jaren leefde te Hoorn nog een boekverkooper van dien naam. »Quaedam

regione versaretur ad omnium gentium mores lubenter se componeret et ita degeret, ut eodem loco natus et educatus videretur. Danicorum solum se moribus accommodare non potuit, cujus gentis asperitatem homo excultus et politus ferre non poterat. Sequebatur paroemiam illam: »Novos parandos esse amicos, non neglectis interim veteribus, atque eos quidem nobis esse adjungendos, quos vitae innocentia et integritas, morum dexteritas, frugi sermo, eruditio nequaquam vulgaris, viris probis commendant, doctis laudatos, omnibus etiam suspiciendos reddunt (1)." Quo factum est, ut egregios conciliaverit sibi amicos. Cum alicujus amicitiam sibi parasset, eam servare studebat boni certique amici officia praestando (2), nullamque neglexit occasionem, quando vel consilio vel ope amicis adesse poterat.

Semper paratus ac promtus erat ad auxilium rogantibus ferendum, cujus rei multa exstant in Epistolis testimonia (3). Quisquis opem ejus imploraverat, quamvis ignotus esset, eum adjuvabat; boni enim civis ducebat officium, »demittere se in causam civium, eorum saluti consulere, insontium opes et fortunas pro viribus sustentare, periculum a cervicibus, quantum in ipso sit, depellere (4)." Iis,

et de aliis Junii amicis praeterea mihi praebuit animadversa Vir clar. *de Crane*, multa et ipse ex Epistolis Junii congessi, quae lubenter etiam adscriberem, nisi justos adnotationis terminos transgredi vererer.

(1) Cf. Ep. p. 16. Quae, ut mihi ex MS. Burm. Collect. apparuit, Hadr. Junio Dordraceno scripta est.

(2) Cf. Ep. J. Pisoni Cliv. p. 95.

(3) Cf. p. 34, 164 233, 237, 255, 429.

(4) Cf. Ep. Senatui Bergano. p. 247.

qui inopiâ premebantur et egestate, succurrere non potuit, quippe qui ipse opibus destitutus esset (1), quamobrem saepius aliorum beneficentiam invocare cogebatur (2). Ipse cum beneficia accepisset, nil antiquius habebat, quam gratum profiteri animum (3). Non possum facere, quin Epistolam Marchioni Anglo totam describam, ut ex eâ viri animum cognoscamus (4). »Quibus verbis tuae Celsitudini gratias agere debeam, non me Hercle magis intelligo, quam quo pactó maris fluctuum rationem inire queam, quippe cujus hesterno patrocinio luculentum cumprimis atque adeo inexpectatum auctarium priori in me conferendo donativo accrevisse compererim. O vere generosum atque heroicum pectus, et ad alenda excitandaque ingenia comparatum! Quid unquam ad demerendum genus humanum excogitatum fuit accommodatius? quid ad consequendum nominis et gloriae (quâ viro nobili nihil debet esse antiquius) splendorum illustrius? quid Deo similius, quam immerentes beneficiis occupare officiisque ultro collatis devincire? quid viro Principe dignius, quam immortalem meritorum gloriam gratuitâ munificentiâ comparare? quam aliorum expectationem antevertere? quam suo nomini respondere? quam id quod vulgo et passim bene audit, praestare, nusquam sui opinioni decedere, quidquam, sinere? Ista omnia unico rarique exempli patro-

(1) Cf. Ep. p. 148, 254.
(2) Cf. Ep. p. 12, 172.
(3) Cf. Ep. p. 253. 348.
(4) Ep. March. Anglo. p. 150.

cinio in me praestito, cunctis innotescere voluit Tua Celsitudo, dum immerenti, extero, ignoto, et a literis prope nudo, ita hesternâ luce patrocinatur, ob tenue quoddam et exile in me literarum lumen, ut non potuerit amplius. Atque utinam a Superis ea mihi vicissim concedatur facultas, ut Heröis tanti incomparabilem laudem digno praeconio celebrare possim: certe inveniet non animum aut voluntatem, sed vires citius atque industriam defecisse. Interim Deum Opt. Max. enixe oro atque obtestor, ut tantum Heröem diutissime nobis et Musis incolumem conservet, honoribusque amplissimis cumulet. Londini Septimo Cal. Aprileis."

Nemini autem pro beneficiis magis se obstrictum sentiebat, quam pro institutione magistris suis, quibus quantum deberet et probe perspiciebat et lubenter profitebatur. Inter praeceptores ejus fuit Jacobus Meysterus, vir inprimis doctus, cujus consuetudine etiam, postquam scholam reliquerat, utebatur, cum praesens in patriâ versabatur, eumque absens in regionibus longinquis compellabat literis humanissimis. Scripsit ad Meysterum suum (1):" Celebre est nobilissimi philosophi dictum, qui Praeceptori ullam satis dignam rependi gratiam possse negavit: quae sententia maximum apud me, ut par fuit, pondus semper habuit, habituraque est dum hac luce frui contigerit, speroque ostensurum me aliquando, quomodo non aetatis incogitantia, aut naturae ingratitudo, aut temporis injuria tui memoriam ex animo deleverint: quin potius effecturum ut benefi-

(1) Ep. Jac. Meystero. p. 47. Cf. p. 127.

cium Praeceptoris, quod in institutione, inflammationeque ad literas praecipue consumitur, θεατήν ἔχοι τὸν αἰῶνα, ut Aristotelis utar verbis. Quid enim quantumque tibi debeam, animi parenti videlicet, haudquaquam tacitus agnosco, imo quotiescunque datur opportunitas, libenter summâque cum animi voluptate recolo, ut cui debeatur quicquid fere in literis, quamquam exiguum illud sit, profecerim: nam si quid industriâ meâ et labore adjumenti huc accesserit, id tamen omne primae tuae institutioni acceptum esse referendum nullus inficior."

At vero non verbis tantum gratiam retulit, immo re ipsâ probavit, se dignum esse discipulum. Etenim quos fructus ex institutione Meysteri percepit non ignaviâ perdidit sed studio auxit in perigrinationibus et postea redux in patriam, Rector Harlemi creatus, quâ in scholâ olim doctrinae sementem fecerat, huic messem largo foenore retribuit. Etsi omnes doctrinâ aequales in patriâ superaret, modestus erat omnemque inanem gloriam sprevit, quam vulgo semidocti captare student. In quotidianâ consuetudine tum jucundus et facetus, tum vero gravis et serius, uti res portularet, cum nemine non lubenter sermones miscebat, quia ab omnibus etiam infimae sortis hominibus aliquid disci posse existimabat. Ferunt de Joh. Sambuco, eum magnâ viri famâ commotum, ut illum videret et salutaret, iter in Hollandiam fecisse: Harlemum igitur cum venisset, Junii aedes statim adiisse ibique audivisse, Junium domi non esse, sed sedere in cauponâ inter opifices. Quod ita aegre Sambucus tulerit, ut, ne spectato quidem

Junio, indignatus reversus sit. Quo autem consilio noster cauponas frequentaret, vir ille doctus ignorabat. Componebat nempe eo tempore Junius Nomenclatorem, in quo opere ornando nil reliqui faciebat. Hujus rei causâ saepe opifices adiit, cum iisque de variis artibus colloquebatur, vera ut rerum et instrumentorum nomina disceret (1). Magis τὸ εἶναι quam δοκεῖν amplectebatur, plusque in recessu habebat, quam primâ fronte ostentabat. Externas eloquentiae dotes habebat non multas, nam linguae vitio balbutiebat, ita ut quanta in eo inesset doctrina, indocti non suspicari, docti quidem nonnisi diuturnâ consuetudine cognoscere possent. (2). Praeter Graecam Latinamque linguam et vero vernaculam quinque callebat linguas. Poeticen etiam tractavit, in quâ tamen, ut mihi videtur, non magnopere excelluit; credo autem eum, quod de Attico Nepos praedicat, hanc attigisse ne ejus esset expers suavitatis (3). Praeditus erat memoriâ mirabili, judicio subtili, praeterea magnâ laboris industriaeque perseverantiâ. Non lentus et tardus, si quid suscepisset, progrediebatur, sed cum impetu ferebatur in eo peragendo, donec opus susceptum perfecisset. Omnes aureae aetatis auctores attente et accurate non tantum perlegit, sed plerosque in succum et sanguinem convertit, emendavit, notis illustravit; ita ingenio acerrimo ornatus et eruditione prope inmensâ instructus Critici partes recte

(1) Cf. Joh. Fabricius Hist. Bibl. P. III. p. 256.

(2) Cf. Velius Chron. Horn. L V. p. 638.

(3) Nepos in Attico C. 18.

sustinere et tueri potuit (1): quocirca non est quod miremur, eum simul eximiâ tum historiae veteris tum antiquitatum peritiâ excelluisse. Neque vero minus in recentiori historiâ quam in veteri versatus erat, cujus rei varia testimonia exstant.

Verum mihi non proposui hoc loco agere de ejus operibus, quae infra recensebimus singula. Hoc unum monere lubet, eum in scriptis componendis valde honoris studio ductum fuisse; longe quidem ab illâ vanitate remotus, ut ab imperitis laudari cuperet, justas autem debitasque meritis laudes, quae a peritis tribuebantur, haud contemnebat. »Quis enim, ait in Epistolâ ineditâ, tam ferreus est vel κουφόνους, quem non moveat aut trahat gloriae illecebra (2)?" Maxime autem omnium scriptis immortalitatem sibi parare studebat, utpote quae verum scriptorum pretium probaret. Scripsit de se Nicolao Episcopio »quippe cui nihil exoptatius quam de literis bene merendo immortalitatem apud posteros quaerere (3)."

Quid dicam de morborum curandorum ejus peritiâ? Cujus fama per totam hancce orbis terrarum partem divulgata erat, ut multi reges et principes eum magnis pollicitationibus ad se adtrahere conarentur; quae nominis celebritas ex eo quoque intelligi potest, quod Gulielmus I anno 1572 aegrotans eum, Harlemo obsidione cincto, ad se evocaverit.

Utrum religioni Reformatae an vero Catholicae ad-

(1) Cf. Elog. Tib. Hemsterh. auctore D. Ruhnken.

(2) Ep. MS. J. Laesio Rupell. Cf. Ep. p. 333, 390, 410.

(3) Ep. MS. Nic. Episc.

dictus fuerit, non satis constat (1). Si dicam, quod sentio, eum per totam vitam Pontificiorum sectam probasse existimo. Quod multis probari potest testimoniis, quorum haec tantum adferre libet. Convertit e vernaculâ libellum, cui titulus erat, *ὁ νεωτερισμὸς τῆς Ἐκκλησίας Βριττανικῆς ἢ ἡ μετάλλαξις καὶ μᾶλλον ῥιπτασμὸς τῆς αὐτόθι θρησκείας* (2). Tum scripsit opusculum *Echo* de Germaniae rebus, cui duo Disticha Chronica sunt addita in Ducem Saxoniae a Carolo V captum (3). Permultis praeterea locis haec sententia in Epistolis probatur. Eum autem extremo vitae tempore, uti nonnulli statuerunt, Reformatis adhaesisse, non mihi apparuit, neque cum iis facio, qui et ex familiaritate cum Principe Arausiaco, et vero ex eo, quod locus ab Hollandiae ordinibus inter Professores Lugdunensis Academiae ei fuerit destinatus (4), reformatum eum fuisse suspicantur. Etenim scimus Gulielmum I, bonis civibus, quamcunque etiam sectam sequerentur religiosam, omnibus aeque favisse; tum vero notum est, inter primos Academiae Lugduno-Batavae Professores plures initio fuisse Catholicos.

Siquidem ea est mortalium natura, ut, qui omni vitio vacet, nemo sit, Junium quoque aliquâ parte minus laudabilem fuisse, quis miretur? Graecorum morem majoribus in poculis poscendis eum fuisse

(1) Cf. Bedas Annal. L. V. Bayle in v. H. J. et ab O. de Bruyn p. 428—433.

(2) Cf. Ep. Corn. Joanni. p. 45.

(3) In. Op. Ep. p. 50—61 inclusa.

(4) Cf. Meursius. Ath. Bat. p. 93.

imitatum constat (1) et potuit dicere, quod Tibullus L I, 5, 37.

»Saepe ego tentavi curas depellere vino."

Quod si quis ingentes ejus calamitates cognoverit, minus mirabitur, condonabit autem potiùs et miserabitur. Hoc autem vitium non ejus est ponderis, magnae ut illius virtutes eo eleventur et obscuriores fiant. Et vero totius rei nullam facere mentionem primo constitueram. Ne tamen viderer studio Junii abreptus, quid in eo reprehendendum esset, vel non vidisse vel videre noluisse, hoc vitium non reticendum esse putavi.

Haec de Junii vitâ et moribus sufficiant: si quis plura cupiat, eum, ut Epistolas ejus adeat, moneo; quibus non est uberior fons ad virum recte cognoscendum.

(1) Cf. Ep. p. 383, 464, 621.

CAPUT III.

FAMILIA HADR. JUNII.

Ducebat H. Junius originem ab gente Juniâ, quae ex Bataviae nobilissimâ olim urbe Dordraco oriunda erat (1). Patrem habuit Petrum Junium, matrem Mariam, Theodori filiam (2). Hanc ante matrimonium cum Petro Junio alii nuptam fuisse verosimile est; memoratur enim ab Hadriano in Ep. Nicolao Grudio *frater uterinus* Hornanae civitatis a secretis, quem Praeturam hujus urbis ambientem commendat Grudio, prius Caroli V, deinceps Philippi II Consiliario. Fratrem illum uterinum ex priore connubio ortum fuisse, non a veri specie abhorret; etenim si ponamus, Mariam, annos undeviginti natam fuisse, quo tempore Hadrianum nostrum peperit, marito Petro mortuo, annum aetatis quadragesimum septimum jam attigisset (3). Hujus autem fratris nomen ignoramus,

(1) Cognovi hoc ex Vitâ MS. in Coll. Burm.

(2) Pater Hornae vocabatur Mr. *Pieter de Jonge*, mater *Marij Dirks*. Cf. de parentibus supra. c. 1, § 1.

(3) Hanc observationem debeo Viro Clariss. *de Crane*.

quo fit, ut neque ex serie Actuariorum et Consulum apud Velium, rem explanare possimus.

De *fratre germano* Junii fit mentio Ep. p. 112, qui frater ab Editore Epistolarum in annotatione *Joannes Junius* vocatur. Hic frater, ut Tabellionis (vulgo Notarii) munere ornetur, precatur Junius ab Nicolao Assendelfo, Arnemii praeposito.

Loquitur etiam de *fratre suo*, nominis tamen mentione suppressâ, Junius in Ep. Martino Aedituo p. 217.

Apparet ex Ep. Jac. Jongio p. 315 Junium habuisse *sororem germanam* (1), cujus maritus in Ep. Nic. Guldensterrio p. 221. *Theodoricus* appellatur: a quo diversum esse Corn. Beresteinium, qui a Junio *affinis meus* in Ep. Corn. Poelenburgio p. 282 vocatur, praenomen indicat (2).

Hadrianus Junius bis matrimonio junctus est, et primo quidem cum *Mariâ Wilhelminâ Caesarinâ* (3), ex quâ uxore filium *Petrum* filiamque *Claram* suscepit.

Petrus Junius secundum Velium (4) *Vir erat impiger neque indoctus*. Scribit Junius Ghijsbertho Heermanno p. 210, »Petrum ob temporis iniquitatem apud me continui domi" etc. eidem 291, »Salutat te plurimum filius meus" (5). In Epistolâ Corn. Poelenburgio p. 370, »Jubet te salvere plurimum Petrus Junius, nunc in describendis patris lucubrationibus

(1) In Ep. p. 191, scripta, ut suspicor, anni 1563 initio, haec soror dicitur *unica eaque vidua*.

(2) Hic Beresteinius uxori Junii fortasse cognatus erat.

(3) Keizers.

(4) Chron. Horn. L. V, p. 638.

(5) Quae Ep. ob mentionem Nomenclatoris et Eunapii videtur scripta a. 1567.

occupatior, quam ut vacare possit scribendis literis" (1). Epistolam H. Junii ad Petrum Junium Medicum, filium, bonae spei adolescentem, servavit Th. Creenius, Animadv, Hist. Phil P. I, c. 2, § 10.

Hadriano Junio mortuo, Petrus scripta inedita patris, quae haereditario jure nactus erat, cum orbe erudito communicare decrevit, quo consilio ea rescribere aggressus est: nihil autem nisi Bataviam in lucem misit, cujus editionem, a Jano Douza adjutus, curavit anno 1588.

Rebus enim patriae nostrae bello turbatis arma sumsit pro libertate, quo factum est, ut propositum peragere non potuerit. Mortuus est Petrus Junius in medio vitae cursu anno circiter 1594 (2), caelebs aut certe sine prole. Bona ejus haereditate consequutus est Verlanius. Epistolas patris indefesso studio collegisse et corrasisse Petrum, ut quum in justum excrevissent volumen, eas ederet, testatur Epistola Balduini Ronssaei Medici (3) Petro scripta Goudae, pridie natal. Domini a. 1576, quae Epistolarum editioni a. 1652 praeposita est.

Filia H. Junii apud Velium in Chron. Horn. L. V, p. 638 appellatur *Clara Hadriana* (4). Exstat Epistola

(1) Quae Ep. scripta, ni fallor, a. 1570.

(2) Cf. Ep. dedic. ad Ampl. Coss. et Senatum urbis Horn. Poematibus Junianis praeposita a Verlanio, qui de Petro scribit »a funere triennium jam aut eo plus est." Nonis Quinct. a. 1598.

(3) Erat Ronssaeus Medicus celeber, qui ad finem vergente saeculo XVI vixit. Cf. Paquot. Memoir. Vol. III, p. 110. Amicus H. Junii erat. Cf. Ep. p. 348 et 626.

(4) In priore Chronici Horn. editione (a. 1617) dicitur Clara adhuc in vivis esse; quae verba recte in posteriore editione omissa sunt.

MS. in Academiae L. Batavae bibliothecâ filiae Clarae scripta a patre (1).

Nupta erat Clara *Meinardo Verlanio*, Consuli Hornano, Viro, uti refert Velius, haud indocto, qui in Epistolâ dedic. Poematibus H. Junii praepositâ, ab Alb. Verlanio, ejus filio, vocatur, *Vir liberaliter eruditione et politiori literaturâ institutus*. Quum annum aetatis vix 36 attigisset, diem obiit Mein. Verlanius.

Ortus est ex hoc conjugio *Albertus Verlanius*, qui medicinae se applicuit primum Lugduni Bat. mox Paduae, ubi medicinae Doctor creatus est. Erat Theod. Velii amicus. Jam anno 28 aetatis vitâ defunctus est (14 Jan. a. 1606). Hic Alb. Verlanius, patre mortuo, manuscripta H. Junii avi accepit, quae ut ejus avunculus Petrus jam antea voluerat, praelo subjicere constituit. Edidit Poematum H. Junii librum primum Lugd. Bat. ex off. Elzevirii a. 1598. Morte autem praematurâ consumtus, non alios hujus laboris fructus posteritati reliquit. Ex Ep. dedic. cognoscimus eum praeterea habuisse in M.S.

Hadr. Junii: *Stromata* Sive Epithetorum Graecorum collectanea.

Suidam, supra quinque aut sex milia locorum interpolatum ac germanae lectioni restitutum.

Poemata. Epigrammata in sex libros distincta.

Epistolarum Volumen.

Praeter haec MS. Velius se vidisse apud Verlanium, *Collectanea de Divinatione*, memorat (2).

(1) Haec unica est Epistola, quam a Junio linguâ vernaculâ scriptam inveni.

(2) Epistolae H. Junii manu Petri scriptae supersunt magnâ pro parte,

Priore uxore mortuâ, Junius duxit postea *Hadrianam Hasselariam*, quae Kenaviam illam Harlemensem sororem habuit. Supererant post Junii mortem ex hoc connubio natae sex filiae; de quibus quid factum sit, memoriae non proditum est (1). Haecce posterior uxor supervixit Junio. Vix tamen credere possum, quod refert Janus Douza, eam cum Junio conjunctam viginti annos vixisse.

— Ariadna —
Viginti mecum quae mansit in annos,
Seque dolet vitae nunc superesse meae.

Nullam enim hujus uxoris facit mentionem Junius in enarratione fatorum, quae habetur in Epistolâ P. Vulcanio a. 1559 scriptâ.

De H. Junii insignibus gentilibus mentio est in Epistolâ Corn. Poelenburgio p. 282, cui mittit »insignia utcumque a se expressa et Beresteinii operâ coloribus illustrata:" ut his insignibus in aedium structurâ locum cederet Poelenburgius, quod erat signum amicitiae.

ut etiam Annotationes criticae in Suidam autographae; quid vero de ceteris his scriptis factum sit, compertum non habeo. Prodiit Epistolarum volumen annis 46 post Alb. Verlanii mortem Dordraci apud Vinc. Caimax sed cujus curâ non constat. His Epistolis praeposita est Junii Vita auctoris sine nomine, quo incertum quae fides huic Vitae tribuenda sit. Mirum est, eodem anno (1652) novam Dordraci apud eundem Caimax Bataviae editionem prodiisse. Utraque editio tum Bataviae tum Epistolarum eâdem icone H. Junii ornata est cum insignibus ejusdem et Epigrammate Petri Scriverii. Quae opuscula si majore curâ et diligentiâ essent edita, non sine veri specie, Henricum Brunonem eorum editionem curasse, suspicarer.

(1) Cf. Jani Douzae Prosop:

Quot superent quaeris? — — —
— — — sex peperit quas Ariadna, mihi.

Insignia H. Junii non inveniuntur apud Velium, sed exstant expressa in Editione Epistolarum anni 1652, tum vero in novâ editione Animadversorum anni 1708 (1).

(1) Het wapenschild is in vieren verdeeld. (Ecu écartelé). Het linker bovengedeelte (indien de kleuren in het plaatje de Animadversa goed zijn in acht genomen) en de beide benedenste gevuld met afwisselende vierkantjes als een dambord (échiqueté), en wel groen (sinople) op wit (argent), terwijl het regterdeel boven gekeperd is (chevronné) en wel met drie roode kepers (gueules), van een gescheiden liggende op wit. (Debeo haec Viro Clariss. de Crane Ann. MS. ad vitam et scripta H. Junii.)

Pars II.

DE MERITIS LITERARIIS HADR. JUNII.

Investigaturus in hac alterâ parte, quae fuerint merita literaria Hadr. Junii, mihi proposui scripta ejus, quae supersunt plurima, enumerare singula eaque, quantum possum, breviter recensere.

Vixit Hadr. Junius eo tempore, quo, renascentibus paullatim literis, egregia erat de iis bene merendi opportunitas; quam occasionem adeo non neglexit, ut ad literarum studia in patriâ nostrâ et excitanda et alenda eâ aetate non alius quisquam plura contulerit. Opera, quae innumera fere reliquit, magnâ eruditione multoque labore sunt composita et quod mirum est, quam maxime sunt diversa, ut ab uno eodemque homine ea profecta esse, vix credibile videatur. Varia namque erat in Junio eaque multiplex doctrina, quae cum judicio acutissimo conjuncta erat. Talis et tantus cum vir esset, vere

Justus Lipsius sagacissmus, omnium Belgarum post Erasmum eum existimavit doctissimum (1).

(1) Judicia de Had. Junio.

Joach. Camerarius, in Ep. ad Jun. »eruditionem doctrinae tuae ingeniique solertiam admiratus et hanc copiam liberalis disciplinae gratulatus sum aetati nostrae." J. Sambucus in Ep. ad Jun." ut quando Erasmum vestrum ingenio aequare coepisti, numero quoque lucubrabrationum inferior ne sis." Jan. Douza in pros. defuncti,

At vos o Batavi justos nunc sumite fastus:
Scilicet hic vobis alter Erasmus erit.

Guicciardini. Beschr. der Ned. »Adr. Junius Doctoor in Medicijne en uijtnementlijck geleerdt in alle andere goede Konsten, groot Poëte ende wel vermaerdt Philosophe." Petrus Scriverius in Carmine, quo Harlemum celebravit, eum vocat *virum sui aevi praestantissimum*. Grotius in Not. ad Cap. IV de antiq. reip. bat. »*Virum summum*. Ab Boxhornio in Theatr. p. 373 nominatur." *Horrendae lectionis et post Erasmum Hollandiae Phoenix*. A. Buchelio ad Bekam p. 8: *Exacti judicii vir*. A. Melch. Adamo *Linguarum plurium peritus, adeo ut non tria quemodmodum Ennius jactavit de se, sed octo corda habuisse possit dici*. Meursius in Ath. Bat. de Junio, »*Medicus, historicus et poëta doctissimus, alterum ab Erasmo Hollandiae lumen dici meretur, vir in quo omnia excellerent, medicinae, historiae, antiquitatis peritia, ingenium ad poeticen factum, linguas praeter vernaculam septem tenuit Graecam, Latinam, Italicam, Gallicam, Hispanicam, Germanicam, Anglicam*. Paulus Merula in Comment ad Libr. I, Ann. Q. Ennii p. 90." *Vir admirandi ingenii et rarae eruditionis Hadrianus Junius, Bataviae suo aevo decus et illustrator*. Gruterus Suspic. 8, 2 eum appellat *Bataviae smaragdum* Colvius ad Apulejum p. 100. *Nostrae decus Belgiae*. Joh. Georg. Graevius. ad Orat. Cic. Tom. I, P. I, pag. 360, *lumen Bataviae*. Conjungit Burmannus sic in praef. (vide. infra) nomina Erasmi et Junii, ut lumina qui essent Bataviae maxima.

CAPUT I.

HADR. JUNII OPERA, QUAE IPSE EDIDIT.

Cassius Jatrosophista.

Primum, quod in lucem misit Junius, opus fuit Cassii de Animalibus Medicae Quaestiones (1): has non antea publicatas, quantum equidem scio, edidit cum Graeci exempli castigationibus et versione latinâ Parisiis a. 1541, apud Wechelum in 4° (2).

Q. Curtius.

Hujus opus de rebus Alexandri Magni gestis prodiit Antv. a. 1546. ex off. Jo. Loei in 8°, curante Junio.

Plutarchi Symposiaca Problemata.

Convertit Symposiaca Problemata ex Graeco in Latinum sermonem; quibus in vertendis ut opus sus-

(1) Cf. Ep. Vulcanio p. 180.
(2) Cf. Niceron. tom. 7. p. 401.

cepit et difficile et laboriosum in primis, quod a nemine antebac tentatum erat (1), ita commodis eruditorum linguae Graecae minus peritorum egregie inservivit. Ea dedicata Francisco Dilfo, Caesaris apud Regem Angliae Legato, primum Parisiis (2) a. 1547 ap. Jac. Gazellum in 8° edita sunt. Quae tamen editio negligentiâ typographi minus accurata est (3).

Lexicon Graecum.

Jam antea hoc Lexicon editum erat, quo autem anno et auctore, deficientibus antiquioribus editionibus, non constat (4). Hoc opus Junius maximo labore et incredibili diligentiâ infinitis fere locis emendavit et 6500 novis ornavit vocibus, ut Lexicon quartâ parte auctum plane novum videri posset (5). Quid in illo opere ipse praestiterit, ex Epistolâ dedic. cognosci potest, ubi ita loquitur. »Nam cum assiduâ lectione, indefesso studio, multo pervigilio (absit dictis invidia) quicquid fere extat Graecorum in genere autorum, nonnulla etiam in Italiae bibliothecis adhuc abstrusa, evolvissem et ex thesauris illis apiculae in morem, justa Isocratis praeceptum, undique in alveum Dictionarii mei plurima

(1) Cf. Ep. P. Nannio. p. 39.

(2) Male Niceron. t. 7. p. 402. Lugduni.

(3) Cf. Ep. Corn. Joanni p. 45. et Ep. Jac. Meystero. p. 49. Altera et emendatior deinceps prodiit editio Lugduni apud Gryphium in 8°. Cf. Sweerts Ath. B. p. 98.

(4) Forsitan scriptum a Ceratino, certe hunc omnium primum composuisse Lexicon Graecum studiosis apparet ex Bataviâ. p. 235.

(5) Cf. Ep. P. Nannio. p. 40 et A. Birckmanno. p. 70.

convexissem, crevisse ad justam molem collectitiam hanc sylvam et numerum esse portentosum animadvertens (nam quingentis plus minus supra sexies mille dictionibus, cum additis tum locupletatis, volumen intumuerat) coepi editionem parturire. Sed nondum hic substitit deses opera, siquidem, ut in exemplaribus saepius recussis fit, immensa mendorum vitiorumque, partim oscitantiâ supinâ et incuriâ, partim et codicum imposturâ commissorum, portenta irrepsisse in editiones toties typis repetitas, perspicuum habens (quippe cum error errorem, ut clavus clavum trudere soleat) multa jugulavi, resecui, reformavi atque emendavi, nusquam mecum citra meliorum codicum consilium, aut Graecorum interpretum fidem meo ipsius arbitrio stare volens. Quod ipsum certe neque esse negocii aut pensi levioris neque utilitatis minoris, quin potius majoris aliquanto laboris instrumentum judicabunt dico, quibus simili more sudatum est. Proinde locuplete operâ magnum adjumentum lectoribus allaturum me ratus, ea non invidere publico visum fuit."

Prodiit in lucem hoc Lexicon, Basil. a. 1548 in fol. (1). Minus accurate impressum socordiâ bibliographi, qui pro suo arbitrio male intellecta mutaverat (2).

(1) Male de Bruin, p. 418 illud Londini excusum esse refert. Eodem anno prodiit in 4°. Cf. v. H. Jun. in Append. Bibliothecae Conr. Gesneri. Exstat praeterea editio Basil. a. 1575 facta ex off. H. Curionis. in fol.

(2) Cf. Ep. A. Birckmanno. p. 224.

Dedicavit illud Edoardo sexto, Angliae regi, cui titulum Defensoris fidei et supremi Anglicanae Ecclesiae Capitis tribuit, quem titulum Rex et a patre acceptum habebat et Belgica curia in literis ad eum usurpabat (1). Quâ quidem re tantum sibi odii apud Paulum III conflavit Junius, ut Pontifex M. in auctorum numerum, quos legere nefas esset, ejus nomen ut Calviniani adscriberet. Quam labem scriptis suis adspersam cum doleret Junius, hortatu Benedicti Ariae Montani et Gulielmi Lindani Episcopi Ruremundensis (2), literas scripsit ad Cardinalium Consessum et Pontificem M. ut suam Catholicae religioni fidem probaret, quibus factum est, ut librorum Junianorum, exepto tamen Lexici Graeci titulo, lectio omnibus concederetur, hoc edicto Pontificis M.

Hadriani Junii nempe Medici, titulus praefixus in nonnullis exemplaribus Lexici Graeco-Latini; eo titulo excepto, caetera ejus opera legi possunt, quod nihil contra sanam doctrinam habeant et auctorem ipsum constet Catholicam fidem profiteri.

Philippeis sive Epithalamium in Philippi et Mariae nuptias.

Hoc heroicum carmen, quod in patriâ haud sine spe quaestus conscripserat, absolutum Londini excudere et regi Philippo deinde ipse offerre decre-

(1) Cf. Ep. Cardinal. Conc. p. 393.

(2) Cf. Ep. B. Ariae Montano p. 252. et Ep. G. Lindano. p. 389.

vit (1). Res autem praeter opinionem cecidit, nam Londinum cum venisset, regius forte ibi aberat typographus, quo et opus retardabatur et plures facere sumtus Junius cogebatur. Scripsit in Epistolâ ineditâ (2)." Carmen heroicum quo Regias nuptias honoresque exhibitos poëtico lusu descripsi, Philippeidos nomine a me donatum, jam absolutum praelo tradere constitui, Regique ac Reginae offerre. Jamque a praelii labore respirasset, nisi jam totos octo et amplius dies ingrata remora tardasset, dum Regius Typographus mihi exspectatur peregre profectus. Lond. 7 Sept. a. 1554 (3)." Edita Philippeis est Londini a. 1554. in 4° (4).

Sed minus liberaliter quam speraverat, eum Rex remuneratus est, a quo donum triginta sex coronatorum aureorum accepit, exiguum sane pro labore et sumtibus, quos huic operi impenderat. De quâ

(1) Primo Junii fuit consilium mittere Philippeidem Londinum ad Nic. Guldensterrium, eumque orare ut eam regi traderet: quod utinam fecisset! Cf. Ep. MS. ad N. Guldenst. »Habeo Epithalamium ad centurias aliquot versuum longum, nam moles inventione novâ semper gliscit, in regias nuptias, sed quia varius hic est rumor, et ut in vulgo solet, incertus, optime laboribus meis consulet T. Exc. si me tribus dignetur verbis certiorem facere, manuve descriptum exemplar an typis procusum mittendum videatur; adde huc an etiam praesentiâ sit opus nostrâ, an vero tibi in manum summitti praestet, haec pro amore in me tuo obiter et tecte scribere si non gravaberis, rem non ingratam et beneficii loco habendam praestiturum te mihi existimato. Harlemo."

(2) Ep. MS. Cons. Perezio.

(3) Nuptiae celebratae 25 Julii a. 1554.

(4) Hoc carmen cum Ode in Parentum indulgentiam et in Abr. Ortelii theatrum orbis reperiuntur in tom. 3. Delic. Poet. Belg.

illiberalitate queritur in alterâ epistolâ ineditâ eidem Perezio scriptâ. »Philippeida meam, infausto (uti reor) genio natam, donario triginta sex coronatorum aureorum remuneratam fuisse, scies vir Amplissime, haud scio au immitius fortasse quam Choerili poetae pactum cum Alexandro Macedone meruerit, certe duplum amplius mora longa profectioque absumsit, nisi forte aut in nomine erratum sit, quando non desint, qui quotidie quid ambiant speciosis titulis, aut nisi inscitiâ amusorum quorundam, quod verisimilius est, id factum sit. Londini (1)." Quod universe ad poeticam Junii facultatem attinet, animadvertens ejus carmina a multis laudari (2), mirabar ea non mihi ita ac ceteris placere. Videbantur enim mihi duriuscula, ejusque suavitatis, quae in Douzae carminibus summopere nos delectat, esse expertia. Quum vero neminem, mecum qui faceret, invenirem et jam in eo essem, ut sententiam meam tamquam minus aequam deponerem aut certe differrem, bonâ fortunâ Disputatio Viri Clariss. Hofman Peerlkamp, de Vitâ et Doctrinâ Belgarum, qui latina carmina scripserunt (3), mihi innotuit, gratumque mihi accidit, quod equidem opinatus fueram, idem a Viro Clariss. confirmari »Junium non ideo non laudandum esse, quod rei poeticae exercitationem tantis doctrinarum studiis adjunxerit, sed hujus laboris fructus, quia

(1) Cf. infra de Vitâ C. 3.

(2) Cf. Guicciard. Beschr. d. Ned. Meursius. Ath. Bat. Baglius in Dict. t. 2. p. 884. van Royen. Carmina p. 153. Plures.

(3) Cf. Haec Disp. p. 101. quae inserta est in Act. Acad. Brux.

non sunt pro ceterà Junii famâ, continere debuisse."

Animadversorum Libri VI.

Errat Auctor vitae Junianae Ep. praem. hos libros Harlemo capto periisse affirmans, quippe qui hodieque exstent, editi Basileae a. 1556 (1) in 8° et dedicati Antonio Perenotto Atrebatensium Praesuli (2). In hoc opere Junius varios veterum auctorum locos obscuros multo judicio illustravit et explicavit, corruptos vero magnâ curâ interpolavit. Quae animadversa si sola reliquisset, egregie jam de republicâ litterariâ meritus esse dici posset (3).

Anno octavo superioris saeculi vir doctiss. Corn. van Arckel denuo Animadversorum libros edidit cum appendice non parvâ (4). Hic a Viro antiquitatum studioso Corn. van Alkemade exemplar animadversorum acceperat, in quo multas adnotationes ipse Junius adscripserat, novae forsitan editioni adjun-

(1) Male de Bruin. p. 419. Harlemi.

(2) Inserti sunt in Gruteri Lamp. Crit. tom 4. Exemplar reperitur in Bibliothecâ. L. Bat. ed. a. 1716. in folio. Baillet Jugem. II p. 2. pag. 63. memorat ed. factam Francofurti a. 1604. in 8°.

(3) Niceron 1. 7. p. 406. de hoc opere scribit: »Les six livres d'observations qui sont renfermez dans ces volumes roulent sur divers points de critique; Junius y fait paroître une connaissance profonde de l'Antiquité Grecque et Romaine, une critique également fine et judicieuse, de la politesse dans le stile, jointe à toute la candeur et a toute la modestie d'un Ecrivain qui travaille sincèrement à découvrir la vérité."

(4) Repetita ed. est Hagae Com. a. 1737. ap. v. Duren.

gendas. Has signis in margine positis distinctas editioni, quam curavit novam, inseruit (1). Tum vero Animadversorum Libris Commentarium de comâ subjunxit.

Commentarius de Comâ.

Scripsit hunc libellum ut probaret, alendae comae studium inutile esse, tondendae vero morem praestare. Eo consilio, quaecumque de comae cultu et tonsurâ haberent scripta veterum, congessit in tribus hujus operis prioribus capitibus; quarto autem capite homines a se dissentientes refutavit (2).

Hic de comâ Commentarius, qui se inprimis doctrinâ commendat, editus est Basil. a. 1556. in 8° et dedicatus Martino Aedituo Amsterodamo.

Commentarius de anno et mensibus. Fastorum liber sive Hemerologion.

In libro de anno et mensibus, ut ipse ait, varia et multiplex ad annum et mensium nomenclaturas faciens cognitio pertractatur: cui subnectitur Fastorum liber, Ephemeridas et Hemerologion Graeci, in quo quicquid peculiariter quâlibet tandem in gente memorabile factum, quod ad certos dies revocari possit, breviter demonstratur (3).

(1) Cf. de Bruin. p. 420 et 421 et Barthius ad Statium L. IV Theb. vs. 530. ubi procul dubio ad supplementa ab Arckelio edita respicitur.

(2) Cf. infra de vitâ c. 3. et de Bruin. l. c.

(3) Cf. Praefat. et ab O. de Bruyn p. 421.

Primum exhibuit hoc opus suâ manu scriptum, xenioli loco, Edoardo VI. Angliae Regi, anno, ut suspicor, 1550. Deinde multo auctius in lucem misit Basil. a. 1556 apud Henricum Petri in 8° et dedicavit Eduardi sorori Mariae, quae in regno fratri successerat (1).

Praefatio continens catalogum Graecorum et Romanorum eundem laborem qui susceperant, digna est, quae legatur. Paulo ante mortem de novâ editione libri de anno et mensibus insigniter auctâ cogitavit Junius, quae tamen, quantum scio, non prodiit (2).

Scholia in L. Annaei Senecae Ludum de morte Claudii Caesaris.

Haec scholia cum publico communicavit Antv. a. 1557. apud Plantinum (3). Primus et quidem recte animadvertit Junius Ludum ἀποκολοκύνθωσιν inscribi debere (4).

Adagiorum ab Erasmo omissorum centuriae octo cum dimidiâ.

Scripsit Erasmus proverbia, quae ante obitum sae-

(1) Inseruit in vol. 8. Ant. Thes. Graevius. Cf. Ep. Vulcanio. p. 180.

(2) Cf. Ep. Dan. Rogerio. p. 500.

(3) Cf. Ep. P. Vulcanio et Niceron. 1. 7. 403. ubi etiam altera a. 1613 editio memoratur. Male de Bruin haec scholia eodem anno, quo Eunapius Sardianus exiit (a. 1568) primum edita esse scribit.

(4) Cf. Lib. 1. Animadv. Cap. 17.

pius divulgavit. Junius cum animadverteret in hoc summi viri praeclaro opere quaedam desiderari, supplere quae ab Erasmo essent omissa, operae pretium duxit. In quo negotio peragendo, ut difficile erat Erasmi insistere vestigiis, ita majorem laudem meruit Junius, cujus Adagia eruditione proxime ad Erasmiana accedunt (1). Edidit igitur centurias octo et dimidiam Adagiorum una cum Erasmi Chiliadibus Basil. a. 1558. in 8°. dedicatas Maximiliano a Burgundiâ, Principi Veriensi (2).

In hac editione curavit, ut loci in prioribus Adagiorum Erasmianorum editionibus corrupti corrigerentur. Scripsit in Epistolâ ined. (3): »de rebus meis sic habeto, me absolutis quatuor centuriis Adagiorum, quintam propediem expleturum, addetur fortasse et sexta superpondii loco: quae omnia his proximis nundinis, volente Deo, ipse praesens praesenti in manus tradam cum locorum aliquot in Chiliadas correctionibus, quos aut librariorum incuria corrupit aut oscitantia supinior scriptoris parum animadvertit, certe, ut nunc sunt tempora, vix reperias, cui tuto perferendum aliquid credas, proinde hanc curam malui in me recipere quam alienae fidei periculum facere. — Harlemo."

Nonnulli falso hoc opus Francisco Junio adscribunt (4).

(1) Cf. Vossius de Nat. Art. L. II. c. 6. § 5. et Philol. c. VI. § 5. p. 940.

(2) Repet. ed. Paris. a. 1579. in fol.

(3) Ep. MS. Nic. Episcopio.

(4) Cf. Niceron. t. 7. p. 403.

Cornu copiae sive Eustathii in Homerum commentariorum compendium.

Eustathius Archi-Episcopus Thessalonicensis saeculo 12°. in Homerum scripsit Commentarium eruditissimum, qui Romae primum a. 1550. 4 vol. prodiit.

Hujus operis Epitomen sub titulo Cornu copiae sive Oceani enarrationum Homericarum ex Eustathii commentariis composuit Junius, eamque Joachimo Hoppero destinatam, sine praefatione, quae non reddita in tempore erat (1), edidit Basil. a. 1558 typis Frobenianis in fol.

Hoc Cornu copiae edendo id egit Junius, ne, quibus facultas ad totum opus, utpote pretiosum, coemendum deesset, ii Commentariorum Eustathii usu privarentur.

Phallus ex fungorum genere.

Phalli historiam et descriptionem cum iconibus praestantissimis edidit Delphis a. 1564. apud Herm. Schinckelium in 4° (2). Nuncupavit hunc libellum J. Sambuco Pannonio, cui scripsit (3). »Dedi hoc ipso die libellum de Phallo, fungini quidem generis, sed nusquam nisi in Hollandiae nostrae sabuletis nascente germine, oratione et solutâ et ligatâ textum, quem, ubi primum prodierit in lucem,

(1) Cf. Ep. Vulcanio p. 180.

(2) Videtur Editio rep. Leidae 1601 in 4°.

(3) Ep. MS.

id quod brevi fiet, communicabis cum Petro Matthiolo Senensi, in re herbariâ Coryphaeo, Principibus tuis addictissimo, quod illi cum omni studiosorum gente plurimum me debere libens agnoscam, tantoque magis quod in suis ille Epistolis cervinum fungum posteritati descripserit (1)."

Nonius Marcellus. (De propritate Sermonum.)

Jam ante Junium viri docti Nonio Marcello restituendo operam navarant (2): qui etsi multa praestiterint, plura tamen in eorum editionibus desiderabantur, ut enixe amici Junium rogarent, Nonio gloriam restitueret. Quorum precibus victus neque sine aemulatione hunc scriptorem corruptissimum emendare aggressus est (3).

Quae res feliciter ei cessit, nam hac ejus operâ plus lucis Nonio accessit, quam omnium labore quotquot ante eum per centum annos medicam huic auctori manum admoverant. Ope vetustissimorum codicum inumeris eum locis restituit et locupletavit.

Exiit Nonius Marcellus Antv. a. 1565 apud Plant. in 8° dedicatus Imperatori Maximiliano II (4). Additus est in calce,

Fulgentius Placiada. (De Prisco sermone.)

Qui libellus bis terve corruptissime excusus erat.

(1) Cf. de Phallo. Dodon. Kruidboek bl. 786. ed. Antv. 1644. Huc spectat etiam Phalli descriptio Epistolis. p. 417. inserta.

(2) Cf. Praefat.

(3) Cf. Ep. J. Sambuco. p. 411.

(4) Cf. Niceron. t. 7. p. 404.

Necessarium duxit integriorem et nitidiorem hujus scriptoris editionem curare eamque ob argumenti similitudinem Nonio subjunxit. (1)

Aenigmata et Emblemata.

Emblemata dedicata Arnoldo Cobelio Quaestori Aerarii Hollandici et Aenigmata Arn. Rosenbergo conjunctim edidit Antv. a. 1565 apud Plant. in 8° et 16°. (2)

De Emblematibus Joan. Sambucus famam nactus multis editis manuscriptis scripsit Junio » Accepi tua Emblemata, de quibus etsi tu nimium modeste sentis, aliud tamen fore publicum judicium videbis: nam et sana et varia elegantiaque sunt et facile autorem officinamque testantur (3)."

Aenigmata meo judicio minoris sunt pretii, quae quidem ita obscura sunt, ut vix acutissimus sententiam eorum expediat.

Anastaurosis Christi.

Hoc carmen in miseram servatoris sortem compo-

(1) Cf. Praefat.

(2) Duas praeterea hujus operis vidi Editiones a. 1566 et 1585. in 16° factas, tertiam exstare etiam, monet Niceron. t. 7. p. 405, quae prodiit Lugd. Bat. a 1596 in 16°. Apud virum Doct. Witsen Geysbeek Woordenboek der Dichtk. IV D. bl. 37. mentio est de Junii Emblematibus linguis Belgicâ, Gallicâ et Latinâ editis Antv. a. 1575.

(3) Junius Sambuco Emblemata miserat eique scripserat (Ep. MS). » Nunc reliqua ad te Emblemata in universum numero quinquagena mitto, de quibus statue quod lubet, sive ea publicum tentare velis sive mari flammisve aboleri jubeas, susque deque ferendum putabo."

situm edidit Antv. a. 1565 (1) apud Plant. (2) Dedicatum est D. Viglio Zuichemo. Quid de hujus pretio existimandum sit, facile apparet ex Ep. ined. (3)

» Addidi et Anastaurosin Christi, quae materia nostris humeris impar, vobis magnis viris et illustribus poëtis, majore aliquanto tubâ canenda erit: mihi satis fuit communi quodam jure (quo cunctis nobis salutifero cruore expiatis redemptionem nostram animo impressam observari semper decet) eam triviali carminis genere deterere!" (4)

Scholia in Juvenalem.

Non sunt, ni fallor, seperatim edita. Videtur autem Junius ea communicasse cum Pulmanno, a quo inserta sunt editioni Juvenalis quae prodiit Antv. a. 1565 apud Plant. in 8°. In his variae lectiones breviter recensentur et loca obscuriora paucis explicantur.

Commentarius in Horatii Carmina.

Anno circiter 1566 prodiit Commentarius in Horatium Basileae, dedicatus Cons. Perezio. (5) Prae-

(1) Cf. Ep. Jac. a. Warmonde p. 428.

(2) Dicit Verlanius in Epilogio ad Poemata Juniana, »Habes benigne lector, numquam antehac edita poemata Hadr. Junii." At vero inter ea, quod miror, hoc carmen jam editum adsumsit. Fortasse jam eo temporis exemplaria hujus opusculi rariora erant.

(3) Ep. MS. Corn. Musio.

(4) Nulla neque apud Niceron neque apud de Bruin hujus opusculi est mentio.

(5) Cf. Ep. p. 3.

fationem partim afferre juvat, quo et rationem hujus commentarii perspiciamus et vero simul, quid priores Horatii commentatores praestiterint, nobis appareat, » Quum vero praeter unum Horatium lyricos scriptores Latina Musa nullos reliquerit hactenus, atque is Poëta sententiarum divitiis, rerum atque historiarum abstrusâ cognitione et verborum pondere inimitabili caeteros antecellat, praesertim in carminum libris, nec in hunc usque diem commentarii (absit dictis invidia) ulli pene Horatianas opes in lucem evocarint aut explanarint (quod ideo factum arbitror, quod e Graecis fontibus, Lyricos dico, unde pleraque derivavit hic Poëta arcessere ea non laborarint) aggredi mihi placuit difficilem provinciam et duram, lucemque eleganti sed paulo obscuriori Poëtae addere, apertâ ad reliqua ejus generis intelligenda magnâ fenestrâ. Siquidem Acron plaerumque Porphyrionis plumis vestitus saepissime impingit, foedis erroribus et mendis maculosus: Hallucinatur nonnumquam in clarâ luce et Porphyrion: Mancinellus quoque errorum vacuus non est. Bonfinio nullus ineptit magis et dum ab aliis dissentire studiose gestit, Siculis gerris vaniora comminiscitur. Badius suo more ἐπιπολαίως βαδίζει corticem verborum solum delibans, ad ipsam rerum medullam numquam penetrans. Plus aliquanto caeteris vidit Glareanus et praestitit."

Commentarius in Librum III *Aeneidos Virgilii.*

Dictaverat Annotationes in Librum 3 Aeneidos

scholae Harlemensis discipulis, horis subsecivis, quas ut colligeret et publicaret a multis admonitus est; quorum precibus facilius cessit, quod viderat idem non infeliciter tentatum esse a P. Nannio in quartum librum Aeneidos et a Robortello in primum, a Barlando in alios aliquot libros. (1)

Editus est hic Commentarius eodem fere tempore quo Horatianus et dedicatus J. Bersozae. (2)

Nomenclator.

Praeclare adolescentium studiis hoc opere in suo genere praestantissimo consuluit, sedulâ operâ rerum nomina in classes digerendo et octo linguis explicando, (3) ut veras rerum voces pueri tenerent. Nil igitur mirum in scholis nostris et Germanicis Nomenclatorem Junianum satis diu in usu fuisse (4) et vero post 269 annos hodieque a quibusdam usurpari. (5)

Prima editio lucem adspexit Antv. a. 1567 apud Plant. in 8°. inscriptus Gulielmo a Nassau Comiti Burano; alterâ vice editus Nomenclator ibidem a. 1577. apud eundem. Hae priores editiones multo

(1) Cf. Ep. J. Bersozae p. 6.

(2) Cf. Ep. J. Bersozae p. 10.

(3) Lat. Graec. Gall. Germ. Belg. Ital. Hisp. Angl.

(4) Cf. Ep. N. Vorstii H. Junio p. 633.

(5) Niceron. 7 p. 405. de hoc opere » C'est ouvrage est en son genre un livre excellent, le choix des termes en huit langues n'y est pas moins une preuve de l'érudition de l'Auteur, que de sa patience infatigable; ce n'est pas qu'on n'y trouve des fautes grossières, mais c'est une chose inévitable dans un ouvrage si étendu et si varié."

praestant iis, quae postea Francofurti a. 1620 et Genevae a. 1633 prodierunt (1).

Plerique in hoc scripturae genere Junium sequuti ex ejus Nomenclatore sua descripserunt.

Eunapius Sardianus.

Edidit Eunapium cum multis castigationibus Antv. a. 1568. apud Plant. in 8°, versionem vero Eunapii latinam a. 1572. (2).

In dedicatione ad Elizabetham Angliae Reginam scribit Junius, se exemplar hujus scriptoris a Sambuco Pannonio accepisse, eumque primum sibi auctorem fuisse, ut Eunapium Latio donaret; quae opera difficilior fuit quam speraverat hanc ob causam, quod mendis infinitis exemplar refertum esset. »Quare, hariolorum more, inquit, diuinare, conjecturam in partes ducere, supplere sed magnâ cum religione instititi; nonnusquam etiam, sed semel atque iterum, transilire perfunctorie malui, quam aliena, hoc est mea infarcire — porro — Equidem, quod in me fuit, praestiti, ut elegantem

(1) Multae praeter memoratas exstant editiones. Videre mihi contigit duas annis 1583 et 1619 factas. Cf. Ebert Lex. Bibl. t. I. p. 904. et Foppens. t. 1. p. 15. ubi editiones anni 1599 et 1602 citantur. Apud Niceron t. 7. p. 405 editiones anni 1585 et 1596. Invenitur etiam Nomenclator Junianus in op. Thrésor de la langue Francoyse a. 1606 in fol.

(2) Cf. Fabr. Bibl. Graec. L. V. C. 5. § 2. Repetita Eunapii editio Argentorati a. 1596 in 8°. Huet de claris interpr. culpat versionem Eunapii Junianam, laudat autem Fabricius Hist. Bibl. p. 3. pag. 256.

scriptorem, numquam hactenus publici juris factum, quam possem fidelissime redderem latinum, eundemque suâ linguâ loquentem in studiosorum manus eâdem operâ emitterem."

Martialis.

In Angliâ pervetus nactus erat exemplar hujus poetae, quod cum se valde ob lectionis varietatem et sententiarum argutiam probaret, editionem Martialis curare decrevit, cui obscurioribus in locis adnotatiunculas suas adjecit (1). Hoc opus Pernae Basiliensi primum excudendum tradidit (2), qui infinitis mendis librum respersit, proinde diligentius polivit et denuo edidit Antv. a. 1568. apud Plant. (3). in 16° (4). Jano Douzae filio dedicatus est Martialis.

(1) Cf. Praefat.

(2) In Ep. MS. Ignoto Viro »ut qui ante annos sex Petro Pernae Bibliopolae Basiliensi Martialem meum tradiderim excudendum accessione Epigrammatum aliquot locupletatum et lectionis discrimine in margine adscripto adnotationibusque ad obscuriora loca illustratum." Cf. Praefat.

(3) In Ep. MS. Chr. Plantino »Mitto ad te Martialem meâ diligentiâ accuratiorem paulo restitutum, in quo excudendo quam emendatissimam operis tuis diligentiam commendes velim, ut Pernae incuria superetur, ne dicam suppernetur."

(4) Fabr. Bibl. Lat. t. II, p. 381. citat editionem a. 1579. in 12°. Prodiit altera editio Argentorati a. 1595. ut indicat Niceron, t. 7. p. 404. Haec Scholia inveniuntur etiam in ed. Martialis. Paris. a. 1601. in fol. Cf. Baillet. Jugem. t. II. p. 172. Vidi praeterea edit. Lugd Bat. a. 1584. apud Gryphium in 8°.

Observationes in Plauti Comoedias.

Annotationes Junii breviores ad Plautum inveniuntur in editione hujus poetae a. 1568 typis Hervagianis factâ, in quâ cum aliorum auctorum animadversionibus conjunctae sunt (1).

Hesychius Milesius Illustrius.

Hujus librum, de iis qui eruditionis famâ inclaruerunt, nunquam antea editum cum latinâ versione evulgavit Antv. a. 1572 apud Plant. in 8° (2). Dedicatus est Corn. Bickero Amsterodamaeo.

Lugduni Batavorum ab obsidione liberatio. Fastus Ibericus. Augurium in Academiam L. Bat.

Strenuam Lugduni defensionem et felicem liberationem versibus celebravit; quod carmen ultimo vitae anno (1575) praelo subjecit (3). Tum eodem anno edidisse videtur Fastum Ibericum, carmen de Hispanorum fastidio et Augurium in novam a Principe Arausino recens institutam Batavorum Academiam.

(1) Cf. Niceron, tom. VII, p. 404. Val. Andr. Bullart Acad. des Scienc. L. 3. p. 181. Monet Fabricius Bibl. Lat. p. 18. vol. 1. has annotationes jam publicatas esse in editione Plauti Antv. a. 1566.

(2) Cf. Praef. Rep. editio a. 1615 in 8°.

(3) Cf. Ep. Nic. Vorstio. p. 491.

Varia Carmina.

Multa Carmina H. Junii eaque varii argumenti inveniuntur in Jani Douzae poematibus novis (1).

(1) Cf. Vir Clariss. Siegenbeek. Laud. Douzae. p. 105.

CAPUT II.

OPERA, QUAE PRAETER ENUMERATA EDITA AB HADR. JUNIO FERUNTUR.

Epicedia in mortem Caroli V, Ferdinandi Imperatoris et Erasmi (1).

Satyrae, inter quas Douzae nominantur Braccatus, Gerulus et Manicatus (2).

Annotationes in Plinium (3).

Isocratis Paraenesis ad Demonicum (4).

Theophylacti Symocatae Medicae Quaestiones (5).

Commentarius in utrumque Senecam (6).

Haec opera locis allatis edita quidem feruntur; ea autem typis mandata esse non adse-

(1) Velius Chron. Horn. L. V. p. 640.

(2) Cf. Velius l. c. Manicati fragm. superest. in 3. ed. Poem. J. Douzae.

(3) Cf. Velius. l. c.

(4) Cf. Velius l. c. et Sweerts. Ath. Belg. p. 98.

(5) Lindenius de scriptis medicis. p. 12.

(6) Baillet Jugem. tom. II. p. 172. n. 382.

verare audeo, siquidem certa mihi deficiunt testimonia (1).

(1) Lectorem Bonarum Literarum studiosum rogatum volo, ut, si aliquod horum operum exstare typis impressum cognoverit, mecum benevole communicet.

CAPUT III.

OPERA HADR. JUNII POSTUMA.

Batavia.

Anno 1564 Ordines Hollandiae, res patriae nostrae ut literis mandarentur, decreverunt, quam provinciam mediocri auctoramento Junio commiserunt (1). Magnâ industriâ ac diligentiâ quaecumque ad patriae antiquitatem pertinerent ex urbium tabulariis et veterum recentiorumque scriptis collegit (2); quum vero eo tempore quorumdam historicorum librorum lectio interdicta esset a Pontifice M., petiit a Rev. Domino Bened. Aria Montano (3), ut sibi historiam scribenti concederetur hosce legere, inter quos erant

(1) Cf. Ep. Joach. Hoppero. p. 212.

(2) Cf. Ep. dedic. Princ. Guil. a Nassau.
— Gualtero Bertoldo p. 258.
— Frid. Simonio - 371.

(3) Ep. MS. Benedicto Ariae Montano. Postquam in hac epistolâ de multorum, quorum lectio prohibita erat, librorum legendorum necessitate sibi historico fuse disputaverat, in fine Epistolae Junius ita » Quorsum haec omnia, nimirum ut si ratione ullâ fieri queat, ut

qui materiam suppeditare ei possent, vel ad refutanda aliorum testimonia, vel ad colligendam veri instructionem.

Adeo nulli pepercit labori, quo opus suum ornare vel locupletare posset, maximeque cupivit in Bataviâ scribendâ, ut ipse profitetur, studium, industriam, diligentiam praesenti et futurae aetati probare (1). At vero morte praematurâ defunctus hujus operis tomum primum absolvit tantum, in quo » praeter gentis et insulae antiquitatem, originem, decora, mores, aliaque ad eam historiam pertinentia, declaratur, quae fuerit vetus Batavia, quae Plinio, Tacito et Ptolemaeo cognita: quae itidem genuina inclytae Francorum nationis sedes."

Sunt, qui putent, tomum huncce primum non esse absolutum et perfectum (2), quos tamen errare mihi citra dubium esse videtur; etenim jam dudum ante Junii obitum scriptionem hujus operis ad finem perductam esse, multis probari potest testimoniis (3). Horum errorem ex eo ortum esse credo, quod consilii rationem in hoc opere historico scribendo plane

quum anno abhinc tricessimo Bononiae Doctoratus titulos cum in philosophiâ tum in medicinâ acceperim, datâ legendi quidvis et profitendi authoritate, nunc tuâ ope beneficioque concedatur usus lectioque librorum mediae classis, (theologicos, in quibus sunt Luth. Mel. Oecol. Zwingl. Calv. ejusque farinae alios non moror, imo aversor, quod historico mihi aliena sit illorum lectio) quo sic adversum vitigilatores istos et calumniatores in tuto statuar. Id si praestiteris vir Clariss. ut magnum operae pretium meis per te historiis accedet, ita Junium me plane bearis."

(1) Cf. Ep. cit. Friderico Simonio.

(2) Cf. Pontus Heut. L. 2. 25. Bayle in voce. H. Junius.

(3) Resol. van Raden van Staten 13 Maart 1570. Cf. Ep. Chr. Plantino p. 254.

nesciebant: haec Batavia nobis superstes nonnisi prolegomena continet historiae, quam duobus aliis complecti tomis Junio fuit propositum, hanc autem ipsam morte praeventus ne inchoare quidem potuit. Apparet hoc ex Epistolâ MS. Petro Corneto, ubi Junius ita » Porro quod ad historiam omnem attinet, consilii mei rationem tibi aperiam, statutum apud me esse, ut in tres tomos eam digeram, ac primo hoc logistoricum, propter crebra authorum testimonia, alieniore ab historiae peculiari stylo praestarem, secundo, qui jam sequetur, Principum nostrorum res gestas ordine persequerer ad Jacobae fatalem usque exitum, tertio Haeredum Burgundiorum ac posterorum facta scriptis mandarem."

Junium in Bataviâ eleganti oratione minus atque in ceteris scriptis usum fuisse et multi alii animadverterunt et vero Vossius (1) observavit, cujus rei causam vir summus positam esse credidit in senili Junii aetate, quod num vere dictum sit non audeo dijudicare, hoc autem unum animadvertere liceat, Junium l. c. profiteri se hanc dictionem consulto usurpasse, tum vero in praefatione ad ordines Hollandiae dicere, se in scribendo Suetonium, cui peculiare fuit amare brevitatem, sequi maluisse, quam Marium Maximum, verbosissimum istum, quem mythihistoricis voluminibus se implicantem Fl. Vopiscus prodidit. Scio equidem fidem hujus operis historicam a Germanis quibusdam impugnatam esse, qui nimio patriae amore abrepti ob unam inventae

(1) De Natura Art.; L. 3. c. 4. § 28.

Harlemi artis typographicae mentionem eamque firmis testimoniis probatam, eo furoris processerunt, ut mendacem historicum Junium vocare ausi sint. Qui insectatores, si legerint Bataviam, odio et invidiâ impediti mihi fuisse videntur, quo minus recte de Junio judicarent, cujus veri studium in hoc ipso libello apparet et eminet splendidissime. Non contendo, hanc Bataviam omnibus vacare mendis, quod profecto esset stultissimum, quia, si alicui, Junio potissimum, fuit errandi occasio, a quo Batavia scripta est eâ aetate, qua historia patriae inculta adhuc jacebat, sed idem non dubito affirmare, in hoc opere Junium summo studio secutum esse veritatem (1), quippe qui paullo adhuc ante mortem candide professus sit. » Quod ad veritatem attinet, eam ego historiae animam et vocare soleo et puto." (2) Junio autem nostro, quod multa de rebus patriae nostrae antiquis obruta Cimmeriis hactenus tenebris detexit et revelavit posteritati, in quo Herculeum quemdam exantlavit laborem, omnes veros patriae et antiquitatum studiosos gratiam debere immortalem existimo. Prodiit Batavia demum anno 1588. Lugd. Bat. ap. Raphel. in 4° cum dedicatione ordinibus Hollandiae (3) et oratione

(1) Quantopere veritatem in scriptis suis coluerit Junius, praesertim ex his verbis patet, quae inveniuntur in Bataviâ p. 257. » at veritatis, quae Dei imago quaedam est, qui non libenter patrocinium suscipiat, vix hominis appellationem mereri existimo, cujus curà atque amore nihil cuiquam vel sanctius vel antiquius esse debet."

(2) Cf. Oratio de Hist. Util. et Necess.

(3) Dedicare Bataviam Junius sibi proposuerat Principi Guilielmo a Nassau. (Cf. Praef. in Ep. ed.)

de Historiae utilitate et necessitate; curantibus Petro Junio et Jano Douza (1).

Joh. Ravisii Textoris Epithetorum Epitome.

Hoc opus a Junio auctum et recognitum Lugd. Bat. a. 1590 apud Rapheleng. in 12°. editum est (2). Quod non unum idemque esse cum Stromatibus, quae manu scripta apud Verlanium se vidisse Velius testatur, existimo.

Adagiorum Compendium.

Editum est Genevae a. 1593 in 8° secundum Niceron t. 7. p. 407.

(1) Editio repetita est Dordraci a 1652 apud Vincentium Caimax in 12°. Versio est Belgica Bataviae capitum 17, 18 et 19, edita sub titulo. »Een seer cort doch clare Beschrijvinge van de ghemuijrde ende onghemuijrde Steden en Vlecken van Holland en Westvriesland naar 't Latijn van Junius verduijscht door G. Boot. Delft 1609 4°. Rep. ed. Amst. a. 1646 in 8° sub tit. Tooneel der Steden en Vlecken van A. Junius, door G. Boot, en van Zeeland, door J. Reijgersbergen.

Duo vidi exemplaria manuscripta Bataviae, alterum in Regiâ Bibliothecâ Hagae Com.: alterum in bibliothecâ viri Doct. van Enschedé Harlemi, ambo scripta, ni fallor, manu Petri Junii. Ex exemplari, quod Hagae est, patet Bataviam jam ante annum 1570 absolutam fuisse, etenim Dedicatio, quae res postrema esse solet, scripta est 7. Id. Jan. a. 1570. Crebrae mutationes multaque additamenta huic exemplari adscripta sunt, quibus lectio difficilis redditur; necessarium igitur fuit, quo accurate a librario excuderetur, illud exemplar rescribere. Ita ortum mihi videtur exemplar Harlemense, quod distincte scriptum est.

(2) De hoc opere scriptor Gallicus saepe laudatus, t. 7. p. 407. »On peut dire que Junius manioit cette matiere avec bien plus d'habilité que Textor, qui a fait des fautes grossieres."

Poematum Liber Primus.

Hujus libri, qui Pia et Moralia carmina continet, editionem moliebatur postremo vitae tempore Junius; sed in lucem demum prolatus est ab auctoris nepote Verlanio Lugd. Bat. a. 1598 in off. Lud. Elzev. in 8° et dedicatus viro Clarissimo Viglio Zuichemo.

Observationes in Petronium.

Quando primâ vice exierint non certo scio, sed exstant in editione Petronii factâ Francofurti a. 1629. in 4° (1).

Ait Burmannus in praef. Petronii p. 14. Se exemplar Petronii a Francisco Hesselio accepisse cum annotationibus manuscriptis; quem codicem olim Petri Junii fuisse scriptura testabatur. Has annotationes ab Hadriano Junio profectas esse non sine veri specie statui potest, siquidem plura Hadriani opera a Petro filio descripta supersunt.

Epistolae, quibus accedit oratio.

Magni pretii sunt Epistolae cum ad vitam Junii

(1) Cf. Niceron. t. 7. p. 407. Titulus hujus editionis habet »*cum omnibus omnium interpretum observationibus*." In indice interpretum ἀνέκδοτα signis distincta sunt, quae signa cum in Junii animadversionibus desiderentur, colligo illas jam prius editas fuisse. Cf. P. Burm. in praefat. ad Petronium, qui se vidisse editionem affirmat Lugd. anni 1585.

cognoscendam, tum ad statum Bataviae et totius Belgii inter annos 1550 et 1575 perspiciendum (1).

A Petro Junio post patris mortem collectae anno 1552, (1652) cujus curâ nescio, lucem viderunt Dordr. apud Vinc. Caimax in 12° (2).

Accedit docta et eruditionis plena Oratio de Artium liberalium dignitate. Tum in Editione Epistolarum inserta est,

Echo.

Anno 1547 Echo a Junio scripta est, colloquium in quo duae fictae personae, Arcturus et Echo, de rebus Germaniae disputant, paullo postquam Dux Saxoniae a Carolo V in bello, quod religionis causâ gerebatur, captus erat.

(1) Cf. infra judicium P. Burmanni Sec.

(2) De Epistolis scribit vir Clariss. de Crane in vitâ MS. H. Junii. »De eerst in het midden der zeventiende eeuw in druk uitgegevene brieven van Junius zijn van veel belang. Jammer dat dezelve zoo vol blijkbare misstellingen zijn, zonder eenige orde en de meeste zonder jaarteekening. Van Oosten de Bruin heeft er vlijtig gebruik van gemaakt, veel meer zou er nog uitgetrokken kunnen worden door naauwkeurige onderlinge vergelijking van dezelve met achtgeving op de vele personen, wier namen voorkomen en de vermelding als ter loops van openbare gebeurtenissen of bijzondere omstandigheden, welke aanduiding van jaar of bepaald of ten naastenbij kunnen geven, en dus zekere rangschikking der brieven mogelijk maken; waardoor vele omstandigheden in het zwervend leven van Junius zouden opgehelderd worden, die nu vrij duister en onzeker zijn. Voor eenige jaren heb ik dit begonnen, maar door andere bezigheden nu en dan gestaakt en ben er dus weinig nog mede gevorderd." — Ad quod negotium peragendum ut nec otium nec aetas Viro Clarissimo desit, primis mihi in votis est!

Epistola Lucani.

Lucani epistola ad Calpurnium Pisonem emendata a Junio superest in Lucani editione Lipsiae a. 1689 in 8° (1).

(1) Cf. Niceron. t. 7. p. 407.

CAPUT IV.

OPERA INEDITA HADR. JUNII.

Suidas.

Suidae opus ingens et maximi ad historiam cognoscendam usus a mendis infinitis purgare suscepit immenso cum labore (1). Sexies circiter mille locis illum scriptorem germanae lectioni restituit et in margine adscripsit librum et locum, unde quidque depromserit Suidas. Praeterea eum vertere aggressus est. Hunc laborem, quem et sibi honorificum et vetustatis studiosis utilem fore sperabat, filio Principis destinabat (2). Numquam autem, quod dolemus, hic Suidas editus est (3).

(1) Cf. Ep. A. Birckmanno p. 75.
— P. Bloccio - 116.

(2) Cf. Ep. M. Anglo. p. 173.

(3) Hoc opus, Harlemo direpto, periisse fertur; quod autem non nisi partim verum est. Communicavit cum orbe erudito Vir Doctissimus de Bruin in vitâ H. Junii p. 426, illud opus adhuc exstare, ubi ita, » tempestivo indicio mihi innotuit, studium Junii in Suidam adhuc superesse eoque uti celeberr. Alberti beneficio Gerardi Ruiteri, Eccle-

Galenus.

Arnoldo Theodoro Amstelodamensi scribit Ep. p. 107. » se occupatiorem esse in aliquot Galeni libris restituendis."

siastae Enchusani, cui dominium directum in illud κειμήλιον competit. Id quod deinde etiam ab ipso viro celeberrimo proditum inveni in notis ad Glossar. Graecum p. 118. contra ἑτέρας pro ἑταίρας apud eundem (Suidam) in v. λιπανδρεῖν et ἑτέρους pro ἑταίρας, in Τοὺς ἑτ. Quae duo loca recte etiam emendaverat olim Hadr. Junius, vir insignis, cujus ineditas ad Suidam notas benigne mihi concessit Rev. et Doct. Ger. Ruiterus, Ecclesiae Enchusanae Mysta vigilantissimus sed an omne quod in Suida vivus Junius praestitit, illo notarum codice Ruiteriano continentur, equidem non dixerim"

Has annotationes, quae in exemplari Suidae Basileae a. 1611 edito manu H. Junii scriptae sunt, ipse vidi in bibliothecâ viri Clariss. Tydeman Prof. in Academiâ L. Bat. qui huncce Suidam aliquot ante annos Medioburgi emerat in auctione. Albae chartae huic operi insertae inscriptum est.

Sum Gerardi Ruiteri.

Testimonium de hoc Suidae exemplari.

Albertus Verlanius Hornanus magni illius Hadr. Junii ex filiâ nepos, qui a Petro avunculo, jure haereditario, scripta avi nactus fuerat, ita loquitur in Dedicatione ad Poemata Junii, quae edidit anno 1598. »Quis exiguae doctrinae homuncio neque omnis generis lectione in quorumvis autorum scriptis non perfunctorie versatus Stromata (is Epithetorum Graecorum collectaneis titulus est) aggredi audeat? Quis Suidae supra quinque aut sex millia locorum interpolato ac germanae lectioni restituto manum admoveat?"

Ex Annotatione MS. Gerardi Ruiteri apparuit mihi, hoc Suidae pervetustum opus per triennium ad manum habuisse Jac. T. Gronovium, ut mutilatum Custeri Suidam Cantabrigiae a. 1705 editum ostenderet, sicut emendando varia in illâ editione palam fecit per brevem mutilationum recensionem editam a. 1713. (cf. recens. p. 24. §. 43.) Hunc autem Codicem Junianum omnia complecti, quae in Suida praetitit Junius non credo, nam legimus in Ep. Marchioni Anglo. p. 173. Junium etiam vertere Suidam suscepisse.

Lucanus.

Tradidit Dickmanno excudendum Lucanum variâ lectione ad vetustissimi exemplaris ejusque castigatissimi fidem ab se interpolatum (1). Lucanus autem ille numquam, quantum scio, lucem adspexit.

P. Vegetius.

Hujus auctoris opus de re veterinariâ emendavit, ut mihi innotuit ex P. Burmanni MS. collectione; ubi has annotationes in bibliothecâ J. Beverwici servari, memoratur.

Marius Plotius et Servius.

De novâ editione M. Plotii cogitasse Junium cognovi ex Ep. G. Fabricio p. 457, ubi ita » Itaque ad preces tuas sic habeto, me primo quoque tempore desiderio tuo facturum satis in edendo Mario Plotio cum Servii libello, typis olim invulgato sed δὶς διὰ πασῶν a meo exemplari dissidente (2)."

Plutarchus.

Servatur in bibliothecâ publicâ Amstelodamensi Plutarchi exemplar Vitarum a. 1533, Moralium a. 1542

(1) Cf. Ep. A. Birckmanno p. 222.

(2) Cf. Junii Emblemata p. 89. » ita namque a Mario Plotio, cujus libellum de metris aliquando invulgabimus, nominatur." Quod promisit Junius, non praestitit. Primus Marii Plotii opusculum edidit El. Putschius

typis expressum Basileae, cujus in margine annotationes MS. sunt H. Junii. In Vitis nihil fere annotavit Junius nisi nomina rerum et hominum de quibus agitur. In Moralibus autem frequentes interposuit correctiones, quarum ratio nonnumquam breviter explicatur. Plurimae autem animadversiones inveniuntur in Quaestionibus Symposiacis, quas separatim a. 1547 edidit.

Vitruvius.

Vocabula architectonicae artis in Vitruvio interpretari aggressus est; num vero hoc opus difficile ad finem perduxerit, dicere non ausim (1).

Notae in Senecae Furentem.

In hanc tragoediam annotationes scripsisse Junium, innotuit mihi ex vitâ Junii a viro Doctissimo de Bruin scriptâ p. 427, ubi legimus in notâ » Celeberr. d'Orvillius ante dies aliquot ad me misit folium in quo ineditae Junii nostri in Senecae Tragici Furentem Notae, descriptae ex Autographo, quod olim delatum fuerat in bibliothecam celebris Literarum cultoris Josephi Valettae. Hae notae seu potius scholia brevissima fortasse sequente parte harum observationum cum orbe erudito communicabuntur."

ex MS. Hanov. a. 1605 in opere suo *Grammatici veteres*. (Cf. Fabric. Bibl. med. et inf. Lat. Vol. V p. 99.) In eodem opere Servii libellus *Ars de pedibus versuum seu centum metris* insertus est.

(1) Cf. Ep. A. Theodoro p. 107.
— P. Nannio - 326.

Aphorismi Hippocratis carmine donati.

A Velio hoc opus editis adscribitur: numquam tamen editum fuisse colligo ex Epistolâ P. Junio P. Ronssaei, qui scribit » carmen illud paraphrasticum in Aphorismos admodum placuit, atque plurimum me tibi fateor debere, quod ejus exemplar transmiseris. Doleo interim festinam mortem patris praepedivisse, quo minus ad umbilicum pervenerit."

Stromata sive Epitheta Graeca.

Haec non publici juris facta esse dolemus, praesertim si legimus Epistolam Junii P. Nannio p. 40 (1) in quâ his verbis, quid de eo opere sperandum esset, profitetur; » illud opus volente Deo ita ornabo utriusque linguae opibus, ita variae lectionis penu instruam, ita multiplici innumerabilium scriptorum testimoniis locupletabo, ut literatoribus omnibus et qui utriusque linguae autores expensius intelligere volent, utilissimum futurum sit, nisi me meus fallit Genius, superabitque mole Chiliadas Erasmi."

Ὁ *νεωτερισμὸς τῆς* Ἐκκλησίας Βριττανικῆς *ἢ ἡ μετάλλαξις καὶ μᾶλλον ῥιπτασμὸς τῆς αὐτόθι θρησκείας.*

Hoc opusculum tumultuario studio e linguâ vernaculâ conversum a Junio (2) numquam, quantum scio, editum est.

(1) Cf. Ep. P. Bloccio p. 116.

(2) Cf. Ep. Corn. Joanni p. 45.

Epithalamium in Casimiri nuptias.

Joann. Ant. Baertwicenus scripsit Junio »Epithalamium in Casimiri nuptias a te scriptum, desiderat. (Redingerus) Multi tum nobilitate tum litteris insignes viri tui amantes exhibitum non fuisse dolent, nam Palatini Oeconomus tibi ducentorum coronatorum honorarium dicebat fuisse destinatum."

Sozomenus.

Promittit in Epistolâ Gisberto Heermanno p. 292 versionem Sozomeni Theologi »Sozomenum curabo ut sub novum annum strenae loco, volente Deo, accipias a me conversum."

Collectanea de Divinatione.

Testatur Velius Chron. Horn. L. V p. 640, se apud Alb. Verlanium H. Junii ex filiâ nepotem hoc opus manu scriptum vidisse.

Epistolae.

Exstant in Bibliothecâ Rheno-trajectinae Academiae duae Junii Epistolarum Centuriae, quarum prior scripta Petri Junii manu tota fere est inedita. Epistolae vero alterius centuriae, quae cujus manu scriptae sint, nescio, omnes fere in editione epistolarum inveniuntur. Collectae sunt Epistolae a P. Burmanno Sec. qui has duas centurias, praemissâ

Bataviâ multis locis restitutâ et correctâ variisque virorum doctorum de Junio nostro judiciis adjectis, in lucem mittere voluisse videtur.

Numquam autem hoc opus egregium prodiit, quod deplorandum est, quia editio epistolarum anni 1652 minus accurata est et vero ineditae epistolae ad patriae historiam cognoscendam sunt utilissimae.

Praefationem MS. P. Burmanni, quam huic operi Vir magnus destinaverat, non possum, quin cum lectoribus, ut melius de Epistolis Junianis judicent, communicem.

»Epistolas has Summi Viri, Hadriani Junii, ejusdem autoris Bataviae descriptioni subjungere me posse imo debere, quicunque eas penitus consideravere, monuerunt: praesertim cum eae tales sint, quae eruditionis et doctrinae plenissimae gravitatem cum lepore miscere videntur, ita ut ne minima quidem illarum tam inutilis sit, ut non aliquid legentem doceat, delectet aut denique juvet. Ad Batavos et Belgas quae scriptae, statum tam Bataviae quam totius Belgii declarant, qualis is erat dum Bataviae suae descriptionem meditabatur: et praeterea claros et amplos eâ tempestate viros litteris suis compellando, posteris eorum (quorum multi nunc ad clavum sedent) paternae aut avitae virtutis memores faciendo calcar addit, et voluptatem aliquam in mentibus eorum creat, dum legunt, talibus se majoribus ortos, a quibus degenerare turpe ipsis sit futurum. Plurimas ex Angliâ et in Angliam litteras destinavit: quae summam istius regni cum Belgio communionem non novam esse ostendunt, et miri stupen-

dique ingenii viros insulam eam semper creasse, quorum monumenta, ut seculum, quo vigent, delectant, ita et alio modo quam aliae nationes docent. Quorum consortio procul dubio doctior evasit Junius et naturales suas dotes ita auxit ex conterbernio Anglico, ut Batavi nostri Erasmo et Junio suis freti, quod aliis nationibus invideant, nihil sint habituri. Adeo in Erasmo summus lepor, in Junio cum lepore conjuncta gravitas, plus in recessu relinquit, quam primâ fronte ostentat. Hac de causâ Epistolas hujus viri Bataviae subjunxi, quae attento lectori instar commentariorum ad illud opus esse poterunt, et alios quoscunque delectabunt et quantumvis invitos aut dissimulantes discere aliquid cogent. Faxit Deus, ut Batavi nostri hoc agnoscant, sin secus exteri eos ingratitudinis aut segnioris judicii de cive suo damnent. Vale!"

Poemata.

Scribit Junius Christ. Plantino p. 254 (1). »viginti libri poematiorum, qui omnes simul manumittendi sunt, volente Deo (absoluti) (2).

Notae in Vitam Epicuri a Diogene Laertio scriptam.

Janus Rutgersius Erycio Puteano eas miserat. Has

(1) Cf. Ep. N. Vorstio p. 492.

(2) Alb. Verlanius in Ep. Ded. loquitur de sex libris Epigrammatum.

Petro Gassendo misit Puteanus Lovanio, Nonis Novembr. a. 1629 (1).

Grates Christo nomine Harlemi.

Cf. infra Prosop. def.

»Egimus et grates Harlemi nomine Christo,
Submissis toties per glaciem auxiliis."

In Catalogo Bibliothecae Acad. Lugd. Batavae a. 1716 notantur.

Eustathii magistri Rhetorum παρεκβολαί in 3 priores Homeri Iliadis Libros p. 340 n. 24.

Descripsit manu suâ Hadr. Junius in chartâ.

Cyri Theophylacti Epistolae ad Dominam Mariam p. 340. n. 25.

Videntur scriptae manu Hadr. Junii.

Clementis Alexandrini opera. Florentiae a. 1550, in fol. p. 35. n. 362.

Nonnulla adscripsit Hadr. Junius.

(1) Cf. Eryc. Put. Epist. Select. Apparatus Cent. IV Ep. 99. et Gassendus in dedicatione vitae Epicuri p. 3.

ADDITAMENTA.

MONITUM.

Has, quae sequuntur, querelas funebres in obitum Hadr. Junii scripsit ille Douza Lugdunensis, qui belli pacisque artes ita habuit in se conjunctas, ut quibus magis excelluerit decernere sit difficile. Reperi eas in collectione MS. Burm. ubi suâ manu P. Burmannus Sec. iis in margine adscripserat *inedita ni fallor.* Quod cum animadverterem, haec carmina elegantis poetae reperta mihi gratulatus sum statimque decrevi ea cum Lectoribus communicare, utpote nondum publicata. De quo ut essem certior, inspicienda mihi esse Douzae carmina existimavi. Quorum in duabus prioribus editionibus has querelas impressas non inveni, at vero in posteriori editione novem libris auctâ, quae mihi bonâ fortunâ nuper in manus venit, eas exstare opportune cognovi. Quoniam vero haec editio rarior jam est facta, ut et ipsi Burmanno latuerit, Douzae querelas funebres denuo typis mandare, operae duxi pretium. Quibus duo carmina, alterum P. Hogerbetii, alterum Theod. Velii, nunquam quantum scio edita, subjunxi.

MANES JUNIANI,

HOC EST,

EPITAPHIA ET QUERELAE

ALIQUOT FUNEBRES IN OBITUM HADRIANI JUNII,

Hornani, Medici,

VIRI IN OMNI DISCIPLINARUM GENERE PERFECTI ET PERPOLITI.

I.

Junius hic, sed non jacet hic modo Junius, ipsa
  Nam Sophie, et Charites, et Medicina simul;
Et doctrinarum pariter, quantumque leporum est,
  Hoc eôdem tumulo, quo situs ille, jacent;
Historiaeque fides, in quâ regnare solebat,
  Cuique adeo aetatem voverat ipse suam.
Nec parsurus erat coepto, me teste, labori,
  Illi parsisset si modo Parca viro,
Infernaeque triplex Hecate quae praesidet aulae,
  Heu nimium doctis invidiosa Dea.
Obtulit illa comam cupido, nova dona, marito
  Juniaci sacras verticis exuvias.
Credo illud metuens, lectis ne Annalibus hujus,
  Sordere ipse orbi Livius inciperet,
Et pro Crispo olim legeremus nobile Junî
  Primum Romanâ nomen in historiâ.

II.

Siste hospes: Batavae jacet hic regionis ocellus,
Doctius Oenotriae quo nihil ora tulit.
Quoque nihil, coelo qui conspicit omnia, Phoebus
Rebus in humanis vidit amabilius.
Num tamen hunc Medicum, num Vatem, an Rhetora dicam,
An potius nostri temporis Historicum?
Nescio, quando Unus nobis fuit omnia, nullo
Nomine non illi conveniente viro.
Noverat et rebus verba, et res jungere verbis,
Juxta idem et Sophiam doctus, et Uranien.
Qualis namque frequens Francisci tempore Regis
Doctorum enituit Franca per arva chorus,
Talis in Hollando visus modo Junius orbe.
Quis non mille viros crederet? Unus erat,
Sed cui victricis ultro puto, praemia palmae
Redderet ore uno Graecia et Ausonia.
Redderet et Satyris Auruns, Epigrammate Marcus,
Naso elegis, rerum cognitione Titus,
Pindaricâ Flaccus gravitate, Catullus Jambis,
Doctior hic, et non mollis, ut ille, fuit.
Mirum nî historiae primas huic Crispus, et ipse
Traderet in cursu lampada Thucydides.
Mirum nî certo Medicinae huic callidus usu
Cederet, et dio carmine Virgilius;
Et qui Scipiadae meruit confine sepulchrum,
Ingenio vates maximus, arte rudis.
Nec sibi tergemino nimium sermone placeret,
Cordaque jactaret vanus habere tria.
Nam si quot linguas fingamus corda fuisse
Ennio, huic nostro quot tribuenda putas?
Illi os Osca quidem faciebat lingua disertum,

Et patriis junctae vocibus Argolicae.
Hic vero non tres edoctus, ut ille, sed unus
Sermonum poterat octo referre sonos.
In queis si Graium, aut Latinum quis ponat, eâdem
Idem operâ et nostrum commemorare potest.
Ille tamen praeter linguae documenta Brittannae,
Germanam pariter norat, et Italicam.
Hispanam taceo, et quae Gallica dicitur, ipsi
Tantum non linguae quae patriae instar erant.
Singula quid memorem, quorum ille scientiâ et usu
Imbutus penitus, non modo tinctus erat.
Omnia pernorat, sed quid juvat omnia nosse,
Perque orbem famam nominis esse sui?
Num minus heu fati transvectus littora, nigrum
Ivit iter? terrae num minus ossa dedit?
Num minus horrifico cinefactum cernere busto
Cogimur, et tristes perficere inferias?
Utilius fuerat, rerum dulcissime, certe
Douzae notitiam non habuisse tui.
Ipse mihi damno nunc est amor; ite sodales
Ite procul, vestri si mihi cura nocet.
Cara quidem, quamdiu vivis conceditur uti
Scilicet, atque omni dulcior ambrosiâ.
At simul e vobis aliquem Fors miserit Orco,
Fel merum, et elleborum triste superstitibus,
Praesertim nobis, et queis penetralia cordis
Mundi oculus finxit de meliore luto.
Sed quid ego haec; quasi poeniteat me foederis hujus,
Pactum olim tecum quod mihi, docte, fuit.
Docte, et quem poteram non ignorare, etiamsi
Natus apud Moschos Cimmeriosve forem.
Scilicet ignotus foret is mihi, nomina cujus
Ipsa etiam Atlantis littora jam imbiberant?

III.

Te Juni! amisso, quantum Respublica damni,
Haec nostra literaria, inquam, acceperit,
Qui nescit, nae mî dignissimus ille videtur,
Cui non Batavas, sed Midae aures assuat,
Aut male dereptâ potius cute mulctet Apollo:
Frequensque pinsat a tergo ciconia.
Quemque adeo, totis extorrem Phocidis arvis,
Doctae furcillis praecipitem ejiciant Deae.

IV.

Junius hic situs est; ultra ne quaere viator,
Oculisque sat debere te tuis puta,
Tam magni spectare viri queis contigit urnam.
Oculi o beati, o vere ingens spectaculum!

V.

Flere Deos si, Juni, homines, et Numina justis
Mortales lachrymis fas decorare foret:
Ipse etiam fletu faceret tibi funera Paeán,
Solveret et doctis Manibus inferias.
Ipsae te Charites, ipsa, heu, te Numina Pindi,
Ipsa etiam laceris fleret Hygaea comis.
Damnaretque suos Medicina ingloria succos,
Sistere queîs lethi non valuisset iter.
Nunc postquam nigri thesauro es traditus Orci,
Utque oculis lux est cara relicta tuis,
Naevio ut Ausonii quondam, sic te sibi adempto,
Sunt Batavi obliti verba Latina loqui.

VI.

Junî haec urna: sat hoc hospes, nam caetera et ipsi
Antipodes poterunt commemorare tibi.

Prosopopoea defuncti.

Vive hospes, dum fata sinunt, modo viximus et nos,
At non ut vulgi vivere turba solet.
Ipsa anima, ut corpus, oneri quibus esse videtur,
Et modo non vivis mortua vita fluit.
Hic somno partem majorem conterit aevi,
Cernit et in medio somnia vana die.
Rixando aetatem hic procudit, at ille bibendo,
Huic modulus vitae sola culina sua est.
Ad stupra et caedes gens nata videtur Iberûm,
Romanoque litant hac ratione Jovi:
Rumen ad implendum Monachi Venerique litandum,
Quam commune suo cum Genio illud habent?
Ignavum fuci pecus, atque ad pocula docti
In medium vigili stertere nare diem.
Nunc tamen haud solum fruges disperdere nati,
Aut vino plenos evacuare cados:
Verum etiam insontum cupide deplere cruorem,
Atque avidam humanâ carne levare famem.
Hoc Narda, Usipedes pridem et Sparneides undae,
Nunc etiam Veteres testificantur Aquae.
Quod tamen o genus hoc? Francisci de grege porci,
Quaeque crucem, vere gens cruce digna, gerit.
Quam bene conveniunt sectae sua symbola utrique?
Scilicet haec furcam gestat, et haec laqueum,
Quid querar? est et qui socium se jactet Jesu:
O pudor, o terrae pondera inutilia!

Et tamen hic Dominus, Frater cupit ille vocari,
Sorbonae hic nomen, Lovanii iste tenet.
Ecce alius quos, o, titulos, quae insignia pandit,
Hic Doctoratus, ille Magisterii?
Haec vulgi studia, hi mores, postquam sapere orbi
Cum Tutulo, et Braccâ venit Aristotelis.
At mea Bullatos semper contempsit honores
Fama, nec hac unquam nobilis arte fui.
Quamvis Doctoris titulo demiserit auctum
Usurpata olim terra Latina mihi.
Tunc cum Romane Batavum mirata loquentem
Felsina me civem credidit esse suum:
Atque aliud, dixit, Juni tibi quaere theatrum:
Nam te ultro tellus non capit Ausoniae.
At vos ô Batavi justos nunc sumite fastus:
Scilicet hic vobis alter Erasmus erit.
Hinc varias terrae partes lustravimus orbis,
Offecit studiis nec via longa meis.
Vidimus et mores hominum, et cum moribus urbes,
Nullaque non regio patria visa mihi.
An patria est, ubicunqne bene est? excepit euntem
Quaelibet hospitiis terra superba meis.
Me Rhodanus, me Suevus ovans conspexit, et Albis,
Gratior et multis advena cive fui.
Sic etiam extremis medicinam fecimus Anglis.
Et morbi agnovit Albion artificem.
Rege sub Henrico primum, mox functo etiam illo,
Tempore quo Thamesi jura Edoarde dabas.
Et quâ tempestate novis auctus hymenaeis
Londini exceptus Rex Iber hospitio est:
Et meruit regni sceptrum dotale Britanni.
(Hei mihi quam dispar huic Domina illa fuit!)
Nos tamen ad festos Hymenaeum duximus ignes

Connubio laeti, magne Philippe, tuo.
Et, Bene te, gentemque tuam, populumque Mariae
Diximus, exceptis, Rex, tamen Hesperiis.
Effusoque mero, verbis solennibus usi,
Scripsimus Heroam rite Philippeida.
Hinc adventitia excepit me patria tellus,
Ceu postliminii jure domum reducem.
Nec tralatitio civem mactavit honore
Harlemum, apta piis vatibus illa domus.
Illa mihi sedes, illinc mihi contigit uxor,
Digna aevi mecum quae spatia exigeret.
Haec mihi contigerat, at mecum haud contigit illi
Vivere, mors cavit ne diuturna foret.
Vixit, et ô utinam modo viveret illa, viderer
Certe te vivâ, vivere et ipse mihi.
Non ita diis visum est, qui me nil tale timentem
In viduo solum destituere thoro.
Sed bene, quod non et patris mihi nomen ademptum,
Quum gemina ex illâ pignora sustulerim.
Infantum par dulce mihi, e quibus altera Clara
Dicta aviae nomen obtinet, alter avi.
Aspice ut et nostra signatur imagine uterque,
Indicat et matris ore pudicitiam.
Sed nec casta minus, viduo quae nupta cubili
Successit thalamis mox Ariadne meis.
Viginti extremos mecum quae mansit in annos,
Seque dolet vitae nunc superesse meae.
Hoc faciunt dulces communia pignora natae,
Octo quidem, si non pars tumulata foret.
Quot superent, quaeris? primi duo pignora lecti;
Adjice sex, peperit quas Ariadna mihi.
Quas ego nunc videor nequicquam multa precantes
Insatiabiliter ad mea busta queri:

Nequicquam, quoniam non est revocabilis ullus,
Frigida quem vitae pausa sequuta semel.
Parce igitur, parce ante alias charissima conjunx,
Morte obitâ Manes sollicitare meos.
Neu lessum fecisse velis, aut carpere malas,
Nec tibi me primum nunc periisse puta.
Justius heu quanto potui periisse videri,
Perdita quum Harlemum deditione fuit?
Quum tot congestos noctesque diesque labores,
Et Laribus nostris quicquid erat reliqui,
Exiguum, modicumque quidem illud, sed quod utrique
Sat foret, et nimium raptor Ibere tibi,
Furtificae invasere manus, et perfidus hostis;
Qui reliquum fecit nil, Ariadna, tibi.
Nunc si forte potes, sed non potes, uxor, opinor,
Gaude erepta semel tot mihi morte mala.
Et bene successit, quod salva Batavia nostra est,
Elapsa hostiles cum Domino illa manus.
Quid spatia annorum numeras? vixi amplius annis,
Scripta senem faciunt, haec numeranda tibi.
Et soboles numeranda domus, Petrusque superstes,
Nominis haeredem quem precor esse mei.
Quam bene post genitis prodent mea nomina saeclis,
Victuri hinc post me liberi, et inde libri,
Quos ego tot memini scriptos mihi, non modo Erasmus,
Mole operum ut cedat, Varro sed ipse mihi.
Et placui, gratare mihi, scis ipsa, Theatris,
Fractaque sunt plausu pulpita pene meo.
Carmina Sacra mihi, mihi se Moralia debent,
Debet fatidici nobile Regis opus.
Et palmam hinc nostrae poterant sperare Camoenae,
Absque Buchanano, Flaminioque foret.
Quos ego praeponam quamvis mihi, non minus ipsis

Dicor, et est etiam, cui prior esse puter.
Per nos rite litans et succidanea factus
In cruce pro nobis Victima Christus obit.
Per nos aeternum victuri carminis aras
Romulidum Carlus Induperator habet.
Quis magni interitum, quis non ploravit Erasmi?
Huic etiam fletu funera facta meo.
Luximus et diam Fernandi Caesaris umbram
Scalptaque sunt versu marmora multa meo.
Nec mihi cura minor taedas cantare jugales,
Quaeque procax debet verba Thalassus habet.
Huic quoque conveniens Phallus, quem lusimus olim,
Glande, scapo, scroto par Ithyphalle tibi.
Divitias potui sermonis habere videri,
Instructa et linguis mens fuit octo mihi.
Id potis est rerum Nomenclatura docere,
Auctubus haud modicis hoc quoque crevit opus.
Atque utinam dias prodire in luminis oras
Plantini excusum possit, ut ante, typis.
Ut taceam Fastos tibi quos, Regina Brittanna,
Ante obitum nobis cura dicare fuit.
Rogerius testis, testis mihi filius haeres,
Rogeriusque alter tu prope Duza mihi.
Singula quid memorem, Pinaces, Aenigmata, et apte
Inscriptas Scoti nomini Acrostichidas.
Per me nobilior, proprio quam carmine, Duza
Bilbilici vatis editione cluit.
Nos quoque nocturnis Epigrammata lusimus horis,
Sex distincta libris, cetera Maurus habet.
Alciati magni quis non Emblemata legit?
Haec etiam dedimus vermiculata tibi.
Scripsimus et satyras, dignum quibus indole nomen,
Braccatus, Gerulus et Manicatus habent.

Ditata et magni per me Proverbia Erasmi.
  Aucta etiam studiis Lexica Graeca meis,
Occanique mei succis contactus Homerus,
  Ut taceam e Graecis plurima versa mihi;
Isocratis monitus, vitasque, obitusque Sophorum
  Qui Sambuce tui muneris, Eunapii, est.
Quam nos Hesychium Latiâ donavimus urbe,
  Argolicis notus vix erat ante suis.
Quin etiam Hippocratis Aphorismos carminis arte
  Primi adeo in Latios jussimus ire pedes.
Nec sylvas minus attigimus, dignataque versu
  Nostra Syracusio ludere Calliope est.
Vertimus et quondam Medici Problemata Cassî,
  Illa meae princeps artis opella fuit,
Nos Boisotum etiam Lugduno inveximus urbi,
  Solvimus et fortes obsidione viros.
Egimus et grates Harlemi nomine Christo
  Submissis toties per glaciem auxiliis;
Subvectisque Lacu cognomine victibus urbi.
  Hei mihi, commoditas quam brevis illa fuit,
Atque utinam pereat, illo qui tempore primum
  Annonae est ausus de gravitate queri.
Ille mali quodcunque fuit sartorque satorque
  Segnitie pessum nos dedit ille suâ;
Meque adeo, cujus praedae cessere labores,
  Raptaque ad externos bibliotheca redit.
Caeteraque ut taceam hic, Animadversa aucta tacere
  Non possum, et titulum cui coma fecit opus,
Non Plinî rerum Historiam, non denique Flacci
  Scrinia, sexcentis emaculata locis;
Scriptoresque bonos pariter, veteresque, novosque,
  Sive tuos Latium, Graecia sive tuos:
Appensasque notas cunctis, mea gaudia quondam,

Tunc mea, nunc ubi sint quaeris? Ibera roga.
Heu ubi tot calamo nunc scripta exempla, manuque?
Me miserum! quoties mî subit illa dies,
Quum profugus, Laribusque meis exutus, et urbe
Tam procul Harlemo, tam procul a patriâ,
Desertis etiam Delphis, coeloque Batavo,
Mattiacum pressi te comitante solum,
Gestantesque sinu communia pignora tecum,
Armudae excepit nos, Ariadna, sinus.
Ergo ego? tam seros, uxor, sed supprime questus,
Sit satis aequoreas auras coelique, salique,
Viribus affectis non valuisse pati.
Ut taceam lenti nimium fastidia morbi,
Quaeque etiam in fatum singula sufficiunt,
Singultus, Febres, Abscessus, Ulcera renum,
Invalidum hinc Tussi concutiente latus.
At tibi bis septem ne sit grave dicere verba,
Hac qui facturus cunque viator iter:
Sit tibi terra levis, et nullo pondere Juni,
Mattiaci coeli cui gravis aura fuit.

Janus Douza Nordovix.

In laudem H. Junii.

Nostra nisi veteres nimium mirata poetas,
Saecula sint vati non satis aequa suo:
Ecce vetustati doctae conferre quod ausint,
Praestitit excelso Junius ingenio.
Qui Veneres Graiûm et Latii populatus honores,
Aeternum meruit carminis arte decus.

Si canit heroo regum connubia versu,
  Pene tuis instat gressibus alte Maro.
Seu teneros mavult Elegos finxisse, probarit
  Roma, suum credens vivere Callimachum.
Est et ubi Flacci numeros expleverit, odas
  Dum Latiam sacras temperat ad citharam.
Ad Latiam sacras citharam sic temperat odas,
  Unus ut esse tibi par Buchanane queat.
Quae clausit brevibus ludens Epigrammata gyris,
  An minus arguto condiit ille sale?
Me patriae nisi fallat amor, quo carcere currat,
  Effert se genii vis generosa sui.
Ut praesens neget hoc aetas, dabit altera certe,
  Quod Medicâ et Melicâ Junius arte potens.
Stat suus hoc Musis et honos hoc vindice Phoebo,
  Ausoniaeque redit gloria prisca lyrae.
Hoc juvenes unoque senes didicere magistro,
  Singula quo dici nomine rite queant.
Magni opus ingenii, quo non praestantior alter
  Romano invexit Cecropiove foro.
Non alter veterum mendas subolere latentes
  Doctior, aut fidâ restituisse manu.
Nonius ante quidem nullâ medicabilis arte,
  Nunc faciat plenam sartusque ubique fidem.
Scilicet et chartis aegrisque afferre medelas
  Jusserat aeterni cura benigna Dei.
Qui talem dederint, quaeras si forte parentes?
  Usus ei genitor, Mnemosyneque parens.
At Sophiae Pallas studio formavit et auxit
  Artibus ingenii Calliopaea sui.

P. Hogerbetius Med. Horn.

De Hadriano Junio *et* Petro Hogerbetio *Viris Clarissimis ad Hornam utriusque patriam.*

Horna, nobilis urbs beata glebae,
Maris sydus, ocelle civitatum,
Non harum modo, terra quas virenti
Claudit Frisia Almarina tractu:
Sed quotquot, Notii Sinus ad oram,
Neptuni lavat aestuantis aequor.
Dic quod te rogo (nec rogabo multa)
Dic uberrima, dic amoena rerum;
Ecquid nunc, velut ante cum tulere
Orcinae tibi Junium tenebrae,
Sic Hogerbetio cadente, totum
Nitoris simul elegantiaeque,
An, florem tibi decidisse sentis?
Ecquid scis veterem perisse lucem
Et jam moestius adnitere soles?
Magna haec vulnera bina, magna certe
Bina haec vulnera, nec brevi coibunt:
Postremum at, reor, altius priore.
Nam vivit sibimet superstes usque
Famâ Junius, inclytisque scriptis:
Nec vivit modo, donat ipse vitam,
Quam sibi, haud minus et tibi perennem.
Hic nihil minor eruditione,
Fato, ah, praepropero, ah, nocente raptus,
(Quod bonis dolet omnibus) pusillo
Famam vix modo sustinet libello.

Th. Velius Med. Horn.

THESES.

I.

Hadr. Junium Calendis Juliis anni 1511 natum, mortuum vero esse die 16 Junii anni 1575 statuo.

II.

Recte Lipsius existimat, Hadr. Junium omnium Belgarum post Erasmum fuisse doctissimum.

III.

Veris coloribus Hadr. Junius in Bataviâ Cap. 9. p. 68. Francos depingit. »Gens namque illa suis numquam contenta limitibus, alieni appetens, dominandi libidine (quae per se inexplebilis est) longe lateque finium suorum pomoeria propagare:"

IV.

Quod Hadr. Junius memoriae prodidit, artem typographicam Harlemi esse inventam, firmis probari potest testimoniis.

V.

Libellum de Hornanorum rebus memorabilibus, quem Velius in Chronico Hornano pag. 95 ad a. 1474 memorat, non ab Hadriano Junio sed ab ejus patre Petro Junio scriptum esse arbitror.

VI.

Ad eloquentiam comparandam valet in primis philosophiae studium.

VII.

Minus recte Crassus apud Ciceronem de Oratore L. 3. cap. 34. »nam ut virtutis a nostris (Romanis) sic doctrinae sunt ab illis (Graecis) exempla petenda."

VIII.

Bene Plato puerorum educationem describit his verbis in Opere de Legibus Lib. II. 659. »παιδεία μέν ἐσθ' ἡ παίδων ὁλκή τε καὶ ἀγωγὴ πρὸς τὸν ὑπὸ τοῦ νόμου λόγον ὀρθὸν εἰρημένον καὶ τοῖς ἐπιεικεστάτοις καὶ πρεσβυτάτοις δι' ἐμπειρίαν ξυνδεδογμένον ὡς ὄντως ὀρθός ἐστιν·"

IX.

Sui cuique mores fingunt fortunam.

X.

Praeclara est laus, quam merito Attico Nepos tribuit cap. 9, eum aperire, se non fortunae sed hominibus solere esse amicum.

AAN

MIJNEN VRIEND EN NEEF

P. SCHELTEMA.

Tentanda via est.
——— Virg.

Wie 't breede letterspoor met roem is ingetreden,
En niet voor ijd'len roem zijn geest en denk-kracht spilt,
Die vindt in 't eigen hart een oogst van zaligheden,
Voor dien is 't leven rijk, aan waar genoegen mild.

Geleerdheid, echt als goud, was eenmaal Neêrlands luister;
Geopend is u 't spoor, het lacht u vriend'lijk aan:
Strijd voor de waarheid en voor 't licht; geene enge kluister
Beknel den vrijen geest op d' eens gekozen baan.

Bevestig Neêrlands roem; het boogt op letterhelden,
Maar roept ook thans met ernst Minerva's kweek'ling op;
Moog ook de naneef eens uw' naam met lof vermelden,
Voer d' eer van 't Vaderland, te vaak miskend, in top.

Gij hebt den grooten man, wiens naam u siert, zien sterven;
Hij eischte toen van u, dat g' aan zijn doel getrouw,
Een roem, die niet verkwijnt, Hem waardig, zoudt verwerven,
Gehoorzaam zijn gebod, voltooi, volmaak zijn' bouw!

Ga dan op 't schitt'rend spoor, als vriend van deugd en waarheid,
Bemoedigd, ongeschokt, tot heil des menschdoms voort;
Ontsteek, waar 't duister was, het licht in grooter' klaarheid,
De Hemel leide uw' schreên! — Gij hebt mijn wensch gehoord!

B. T. Lublink Weddik.

Rotterdam, *Januarij* 1836.





